1.

DE TRANSLATIONE IMPERII ROMANI AD GERMANOS.

Item

DE ELECTIONE EPISCOPORUM, *quòd æquè ad plebem pertineat.*

MATTHIA FLACCIO ILLYRICO AUTORE

BASILEAE

1566.

INVICTISSIMO

AVGVSTISSIMOQ'VE ROM. IMP. MAXIMILIANO II, *Regi Hungariæ & Bohemiæ &c. Illustriß. VII viris, illustrib. principibus reliquisq; amplißimis sacri Romani Imperij ordinibus, Dominis suis clementißimis optat Math: Flaccius ILLYricus sinceram vnici seruatoris agnitionem, & felicitatem temporariã simul ac eternam.*

AVGVSTISSIME *inuictißimeq; Imperator, amplißimiq; Septemuiri, & reliqui illustres ordines sacrosancti Rom. Imperij Domini mei clementißimi, summaq; post Deum subiectione obseruationeq; semper colendi, Ingens laus & simul publicum commodum est, cum gubernatores ea sunt benignitate clementiaq; præditi, vt etiam infimos subditos clementer ad se admittant audiantq; : sicut illa supplex vidua hoc eximium decus in Dauide prædicans, inquit, Dominus meus rex, est vt angelus Dei, audiens bonum ac malũ. Hoc igitur clementiæ beneficium cum alijs quoque clementißime præstetis, oro vt & mihi nunc ad vos rem nõ paruã afferenti benignißime exhibeatis. nã sæpe etiã est holitor valde oportuna lo-*

quutus: nec rarò Dominus ea patefacit paruulis quæ multi eximij ignorant.

Ineffabilis est Dei bonitas, admirabilis quoque rerum ob eo conditarũ, et ordinatarum consensio: vt plerumq; ea omnia, quæ illi sunt gratissima, quæq; sunt iustissima, etiam humano generi sint longè vtilissima aptissimaq;. Facile id esset, expensis singulis decalogi præceptis demonstrare, ostensa singulorum in communi vita eximia vtilitate. Itaque etiam ipsi gentiles Philosophi disputarunt, nihil esse honesto ac virtute hominum vitæ vtilius aptius salutariusq;.

Et porro inter virtutes nullam pietate maiorem esse Plato grauissimè confirmat. Fuerunt quidem etiam apud gentiles multæ vtiles salutaresq; leges, sed omnes tamen illæ fuerunt veluti riuuli quidam, seu speciales explicationes & applicationes huius diuinæ sententiæ ordinationisq; Decalogi, tum per propagationem deductæ communicãte eam sapientiam Iosepho Aegyptijs, vnde eam Græci haustam Romanis impertierunt, à quibus aliæ gentes eandem petierunt limante tamen subinde omnia innato rationis Decalogo & vsu experientiaq; perpetua, vt sicut leges ex Decalogo ortæ sunt, ita ad eum iudicari attemperariq; semper debeant. Quare non immeritò Demosthenes dixit, leges esse inuentum et donum Dei. Nec solum id in singulis aliquibus partibus, sed etiam

etiam in toto genere manifeſtißima experientia te-
ſtatur. Semper enim vera religio optimusq́; Ec-
cleſiæ ſtatus, optimæ politiæ & toti hominum vi-
tæ aptißimus fuit, vt regnum Dauidis, Salomonis,
Pharaonis tempore Ioſephi, Darijq́;, ac Cyri
aliaq́; innumera teſtantur. Nerui enim politiæ
ſunt, vt & magiſtratui ſuus honos, & populo de-
fenſio, pax, honeſtas, diſciplinæ, literæ ac bonæ
artes, coniugiorum firmitas, contractuum officio
rumq́; mutuorum iuſtitia & æqualitas, reliquaq́;
commoda ſalua incolumiaq́; ſeruentur, atque
adeo etiam promoueantur & amplificentur.

Hæc verò omnia ſyncera Chriſtiana pietas om-
ni ſtudio diligentiaq́; fouet ac promouet, licet
ſemper ſit olim, ſicut, proh dolor, etiam hoc tē-
pore, contrariorum ſcelerum nomine, nempe ſedi-
tionis, licentiæ morum et omnigenorum vitiorum
ac turbarum blaſphemè infamata. Ea nanque o-
mnem animam atque adeo etiam ipſos Chriſti A-
poſtolos & miniſtros magiſtratui perpetua ſeue-
rißima Dei mandata inculcando ſubijcit, eumq́;
vt Dei ordinationem agnoſcere, & colere ſeueriſ-
ſimè iubet, idq́; non tantum ad oculum ſpeciemq́;
exteram propter metum pœnæ ipſi ab illo in-
fligendæ, ſed etiam ex animo ob conſcientiam et Dei
iram, vt Chriſto ipſi.

Docet verò eadem viciſsim etiam magiſtratum
vt agnoſcat ſe Dei miniſtrum eſſe, gladio quidem

ac potentia diuinitus accinctum instructúq; supra omnes homines: non tamen vt sit terrori bono operi aut pijs, sed tantum malo prauisq; homnibus: non etiam sibi soli ad priuatum bonum, verùm potius suis subditis ad publicum: præsertim verò suo Domino, *cuius minister est, creatori nempe cœli & terræ, ad gloriam ac ad aperiendas portas regni sui filio eius* Iesu *Christo*. Deniq; *eadem coniugalia iura mutuaq; inter homines officia ac dilectionem sinceram mirificè nomine* Dei *commendat, et cum ad liberalia studia, tum etiam ad omnes bonas utilesq; artes suos auditores perpetuo incitat inflammatq;.*

Quid hac assidua institutione hominum societati rebusq; pub. potest esse vtilius? Taceo *iam illa multò maiora ac planè ingentia, quòd eadem doctrina corda hominum Spiritu* S. *imbuit, ac ad omne bonum opus, præsertim ad piam pacem ac publicam tranquillitatem, omnemq; virtutem ac honestatem fingit flectitq;, et deniq; ad veras ardentesq; fidei preces et pro regibus ac principibus omnibusq; magistratibus, ac pro omni publico bono accendit, quæ cum solæ* Deo *acceptæ sint, quiduis boni per & propter* Iesum *Christum* VNICVM *æternumq, nostrum sacerdotem ac mediatorem largissimè impetrant, quantumuis hunc tantorum bonorum fontem ingratus Mundus non agnoscat, sed adoret potius ac inuocet*

quòd non

quòd non nouit inanibus battologijs, vt seruator noster pronunciat.

Deus ergo veraq; doctrina est mater ac causa humano generi illius maximi boni, nempe ciuilis societatis, quod tantopere Aristoteles & Plato prædicant. Nam illa & subditos iubet colere magistratum vt parentem ac ministrum Dei, & illum vicissim pro publico bono vigilanter excubare suoq; gladio honorare bonum, & terrere malum opus, eadem etiam omnes mutuam sinceramq; dilectionē ac officia docet, atque ita hisce neruis homines inter sese consociat: nam etiam, vt alij alios de religione docerēt, cōtiguas pietas iußit habere domos.

Quare & hoc tempore instaurati Euangelij Iesu Christi nō vno modo gloria dignitasq; politici magistratus est verbo Dei illustrata, et cōtra seductores eiusq; oppressores speciosè exornata et vindicata, quantumuis illi contrarium fingant. Quæ cum antea præstantes viri, in politica gubernatio- existētes, falsa doctrina persuaderentur, se in quodam prophano, carnali, Deoqúe parum grato vitæ genere versari, ac propemodum de salute sua desperare cogerentur, eoque non raro deserta sua diuinitus mandata statione, publicoque bono, sese in latibula ignauumque ocium monasteriorum abderent: Nunc contra ex verbo viuentis Dei certò sciunt, nihil suo vitæ genere, si modò rectè ac in fide filij Dei obseruatur, vel

Deo gratius, vel etiam hominũ generi vtilius esse. Sic etiam, cum antea pedibus seductorum fœdissimè proculcarentur, nunc se verbo Dei super omnem animam exaltatos esse cernant, lætenturq;. De quo ingenti Dei veræq; ipsius religionis beneficio merito profecto omnes magistratus illi maximas gratias agere deberent. Hinc igitur licet videre, quãto vera ac sincera religio Christi cõtrarijs superstitionibus sit etiam ipsis politijs, communiq; bono aut temporariæ quoque huic hominum vitæ salutarior; vt rectissimè Socrates pronunciauerit veritatem omnium bonorum fontem esse, tum Deo gratum & hominibus: cuius hæc sunt verba:

ἀλήθεια δὴ, πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις. ἧς, ὁ γενήσεσθαι μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη, ἵνα ὡς πλεῖστον χρόνον ἀληθὴς ὢν διαβιοῖ.

In hoc vero genere beneficiorum Dei veræq; religionis, quo is vindicat magistratum politicum, præsertim summum à tyrannide contumelijsq; seductorum, non minimum est, quod iam quoq; per me indignissimum suum ministrum præsenti libello illustrat ac declarat, quod postea, eo perlecto, tua sacra Maiestas reliquiq; amplissimi ordines liquido cognoscent.

Dicendum enim certè est id quod & uerissimũ est, & Deus dici seuerissimè mandat, constare nẽpe iam fermè toti orbi terrarum, nunquam à quo-

quam fœdius et diutius vexatū oppressumq́; esse sacrosanctum Rom. imperium, eius Monarcham, et gloriosissimos ordines ac status, & denique sedem eorum amplissimam, nempè & vetustissimam gentem Germanorum, quam à Romano pontifice, ut omnes historiæ una uoce copiosissimè narrant, et etiam publica damna nimium claré testantur.

Quod horrendū facinus inexplicabilisq́; tyrannis, nullo perinde alio prætextu ac occasione ab eo effectum obtentūq́; est, quàm subuanissimo figmēto aut impostura, translati per se ad Germanos Imperij. Hoc namq́; confictо iure voluit Romanū Imperium pro suo quodam feudo, & ipsos ei monarchas, ordinesq́; pro suis beneficiarijs subiectisq́; hăbere Imperatores pro libitu libidineq́; sua ponera ac deponere, exaltare et deprimere, tetrisq́; iure mētis obstringere. De qua potestate etiā hodierna die, ipse eiusq́; parasyti, seductoresq́; superbissimè gloriantur, & etianum sacrosanctæ huic monarchiæ proteruè insultant minanturq́;.

Tales verò Imperatorum vexationes vt ex arbitrio perficeret, non rarò excitauit horrendas seditiones, infinitaq́;, ac non tam ciuilia, quàm plane parricidialia bella in toto Imperio, discisis sacrosanctis iuramentis subditorū erga superiores principes & monarchas, completaq́; Germania ac penè tota Europa Christiano sanguine, & deniq́; incitatis cognatis, fratribus atque adeo pro-

prijs filijs contra parentes, vt in oppreßione præclarißimi herois Henrici IIII proh dolor ingenti cum clade totius Germaniæ Italiæque factum est. Hoc igitur istorum perniciosißimũ, vanißimumq; figmentum in priore hoc nostro libello, Dei beneficio, dilucidè solideq; refutatur, et simul vera Germanorum Romani Imperij origo liquido commõstratur. Asseritur etiam amplißimi Septemuirum aut Electorum ordinis vetustas, dignitas & origo contra eosdem deceptores, & recentiores quosdã historicos. Quod quidem ingens Dei, à quo omnia bona veniunt non meum munus merito profecto maximi faciendum est, Deoq; pro eo gratiæ agendæ sunt.

Vt verò huius verißimæ sententiæ de Traslatione Imperij aliquem paruum gustum hic proponã rectißimè de ea olim Fridericus Aenobarbus Cæsar heroici animi ac virtutum sensit ac pronunciauit, cuius plane memorabilem ac scitu dignißimam historiam inclytus heros Hermannus comes à Nuenare in suo de Francorum origine & sedibus libello ad inuictißimum Imperatorem Carolum V. scripto recitat. Cuius hæc sunt verba.

Francica enim natio est illa inter omnes Germaniæ gentes clarißima meritoq; nominis immortalitate celebranda, quæ Germaniam Germaniæ restituit, quum illa prius tot intestinis cladibus dilaniata, vix sibi ipsi constaret: Hinc Gothis,

Vuandalis

Vuandalis, Hunnis, Longobardis: illinc Herulis, Turcilingis, Saxonibus, Anglis, Nortmannis, Quadis, Burgundionibus, Alemannis in suam parentem sæuientibus. Hæc Galliam tripartitam toties à nostris maioribus oppugnatam tandem omni ex parte perdomuit, ipsiusque non modicam partem in hanc nationem transplantauit, vt ab alpibus, vnde Rhenus effunditur, vsque ad occiduum oceanum Germanici iuris sit, quod Gallia prius Belgica dicebatur. Reliquum autem Galliæ de suo nomine Franciam appellari etiam hoc tempore videmus: vnde constat, Gallorum non tam victores quàm extinctores fuisse. Hæc denique Romanum imperium tanto tempore toti terrarum orbi, non formidabile solum, sed etiam onerosum breui tempore contriuit, ipsamque Italiam victricem quondam gentium victoris ferre iugum compulit. Sic germanorum virtuti cedere coacti sunt Romani, quos neque ferocia Annibalis cum tota Africa, neque potentia Antiochi cum sua Asia, nec Pyrrhus, quamuis Græciæ esset imperator, frangere potuerunt quæ res fortissimum virum non latuit Fridericum I. cognomento Barbarossam, quemadmodum de illo memoriæ tradiderunt Ottho Frisingensis episcopus, et Guntherus Ligurinus poeta. Nam hunc ad legatos Romanorum sibi in aditu Vrbis obuiam factos, verè Germanico quodam vultu dixisse fe-

runt: Romanorum imperium maiorum meorum Francorum sanguine emptum, eisdem quibus accepi, manibus tueri conabor. &c. Quo suo eulogio
+ 8. vanam Italorum contudit arrogantiam, qui ad Germanos venisse imperium Stephani papæ donatione asserunt, vt precario nos accepisse fingãt, quod belli iure poßidemus, qui si verum dicere vellent, faterentur vtique Carolum M. Italiæ, à qua per Longobardos eiectus erat, restituiße Papam Stephanum, nec agnoscere donum, quo carebat is quem fingunt donatorem: faterentur per hunc in Italia regnare Romanum pontificem, non per Cõstantinum, cuius successores vsque ad Theodorici regis Gotthorum tempora, & ipsam Romam et Italiam totam tenuerunt: faterentur Hexarchatum Rauennæ cum Piceno non fuiße vnquam sub potestate Romanæ Ecclesiæ, nisi postquam Stephano Papæ fuit per Pipinum collatus. Sed Italorũ cõmenta relinquamus, et ad Francos reuertamur.

Poßis autem verißimè dicere, non tantum tempore Caroli Magni Germanorum sanguine ac virtute imperium acquisitum, sed etiam mox ab initio
+ 9 constitutum eße. Nam nemo dubitat à Iulio Cæsare idq; potißimum Pharsalico prælio contra Pompeium imperium Romanum partum constitutumq; eße. At ibi sex illæ (teste Lucio Floro) Germanorum cohortes in subisidijs collocatæ, quæ subito et quasi uno impetu, tum numerosißimum equitatum

Pompeij in montes fugarumt, tum ingentem sagittariorum ac leuis armaturæ eiusdem numerum cõciderumt, & denique etiam legiones ipsas Pompeij ualidißimas in fugam conuerterunt, principium & caput totius eius victoriæ, vt omnes historici testantur fuerunt. Quod & ipsemet Iulius Cæsar huius monarchiæ constitutor non tantum postea adfirmauit, sed etiam ibi ante factum præsaga mente prædixit.

Hæc enim sunt eius verba in tertio Ciuilis belli. Neque verò Cæsarem fefellit, quin ab his cohortibus, quæ contra equitatum in quarta acie collocatæ essent, initium victoriæ oriretur, vt ipse in cohortandis militibus pronunciauerat, ab his enim primum equitatus est pulsus, ab ijsdem facta est cædes sagittariorum atq; funditorum, ab ijsdem acies Pompeiana à sinistra parte erat circumuenta, atque initium fugæ hostium factum.

Non fuit quædam vulgaris illarum cohortium virtus, sed quis intelligens credat, quòd tam pauci milites, nempe, circiter bis mille tantum equitatũ Italicorũ et sociorum fugare, et tam infinitum numerum sagittariorum ac funditorum tam repente cõcidere, et denique etiam ipsas numerosißimas validißimasq; legiones Pompeij circumuenire et in fugam conuertere humanis viribus ac virtute potuerint? Dei proculdubio vi miraculoq; id factum est, vt in illa ipsa prima acquisitione cõstitutioneq;

Imperij Romani, tam pauci Germani; tantam vi-
ctoriam illi monarchiæ pepererint: quo indicaret, hanc gentem plurimum in eo imperio iuris habere, & quandoq; id etiam diutißimè possessuram esse. Vsus est & alioqui sæpius in eo ciuili bello Iulius Germanorum forti fideliq; opera ad constituendam suam illam monarchiam, sicut & postea ijdē sæpißimè fortiter eādem defenderunt, ac nō rarò quoque intimi Imperatorum stipatores custodesq; fidelißimi contra perfidiam, coniurationes & insidias Romanorum fuerunt.

Huc referre poßis quod et mox post Iulium sub Augusto Germani duas aquilas Romanis iustißimo bello abstulerunt. Sicut inter alios historicos idem Lucius Florus inquit, Duas aquilas Germani cæso exercitu Romanis abstulerunt, & adhuc retinent. Quibus iure belli virtuteq; partis insignibus, etiānum Germanorum Imperium in protestationem defensionemq; iuris sui contra omnes aduersarios constanter vtitur, cum antè Romani simplicibus aquilis in suis insignibus vterentur. Quo facto iterum videtur Deus significare voluisse, quòd sicut ipsi antea illud virtute militari ac sanguine suo acquirere constituereq; adiuuerant, ita quandoq; essent id penitus ad se translaturi possessuriq;. Quandocumq; igitur volet Romanus sacrificus alijq; imperij æmuli cognoscere Germanorum monarchiæ originem ac ius, intueantur modò ac con-

templentur eius gloriosa insignia bicipitem aquilam ostentantia, & mox ea illos de origine iureq; suo abunde edocebunt, ac vel inuitos conuincent. Verùm de hac re postea in ipso libello prolixius agetur: ego verò iam tuæ M. Cæsar inuictißimè, vobisq; gloriosißimi Septemuiri, et reliqui amplißimi principes ac status, summa qua poßum reuerentia, ac tãto magistratui debita obseruantia hunc meum libellum offero, non illum quidem limatißimum ac politißimum, sed tamen certè continentem eam tractationem materiamq;, quæ vobis totiq; huic sacrosancto Romano imperio,, Germaniæq; imprimis, si modò rectè opere ipso ac praxi agatur, tracteturq; plurimũ tum ad dignitatẽ, tum etiam ad alia ingentia cõmoda cõferre poßit.

Est & alius libellus huic adiunctus de iure electionis præsulum, qui & ipse, si sanè ius in eo solide mõstratum in opus ipsum perducere velletis, quod quidem vobis factu longè facillimum est, ingens profecto commodum huic sacro imperio totiq; Germaniæ et imminationẽ cõtrariæ tyrãnidis Antichristi Germaniã per sua ludrica pallia, mitras baculos, bullasq; extremè exhaurietis afferre posset. Eripuerũt olim canonici (vt vocantur) ecclesiæ electionẽ episcoporũ ac prælatorũ, illis porrò põtifex q longo tẽpore vẽditauit episcopatus Germaniæ et aliarũ puinciarũ plus pecuniæ offerẽti, et adhuc hodie veluti sua quædã vectigalia vẽditãti, licet

denuo aliquid parum iuris in electione canonicæ concesserit. Qua ingenti pecunia multo iustius Germania totaq; Christianitas ad sui defensionem contrà Turcum vteretur.

Vidit olim tempore Basiliensis concilij Fridericus tertius Imperator atauus tuus, Cesar augustißimè, hanc electionis prælatorũ materiã maximi momẽti esse, plurimumq́; ad Imperij Germaniæq; statũ facere, eoq́; eius varios abusus in conuentu Moguntino corrigere conatus est, vt articuli aut grauamina ibi proposita testantur, quos meo catalogo testium veritatis interserui: sed impeditus est per Papam, regem Galliæ, & proprium cancellarium Aeneam Syluium. Facit harum grauißimarum eius actionum ac deliberationum etiam Platina mentionem.

Voluit etiam Antecessor tuus, Cæsar inuicte, ac ipse Sigismundus Imperator easdem electiones præsulum, & alios innumeros abusus in sua reformatione proposita in concilio Constantiensi corrigere, quæ ante annos octuaginta Augustæ impressa est: sed doctis dolis Papæ Martini & Cardinalium deceptus eiusq; est. Postquam enim iam tres Papas deposuerat, & vnum etiam in captiuitatem, carceremq;, teste Platina, coniecerat, iamq; nouum papam Martinum creauerat, de cuius pietate sibi nihil nõ boni pollicebatur, cœpit ipse cum toto imperio ac Germanica natione (vti ibi

est

est appellata) vrgere in concilio reformationem Ecclesiæ, ac præsertim Spiritualium, vti vocantur. Simulauit Papa et cardinales sibi id vehemētißimè placere, & tantæ rei vtilitatem necessitatemq; mirificè prædicarunt.

Verùm concilium nimis diu productum esse dixerunt, & præterea tam longi temporis schismate cum illa sacrosancta augustißimaq; templa Romana, & cultum Dei, tum & ipsam illam omnium Ecclesiarum matrem Romam, atque adeo etiam totum penè patrimonium Petri dißipatum & euersum esse. Quare extremam necessitatem flagitare vt ipsemet pontifex tantis ruinis sua præsentia occurrat. Quamprimum aut illis tantis malis obuiasset, et illa tristia vulnera sacrosanctæ illius matris Ecclesiæ sanaßet, mox se omnem daturum operam vt votis Cæsareæ Maiestatis & Germanorum in reformanda Ecclesia & clero satisfieret.

Sicque illud concilium elusis Imperatoriæ M. & Germanicæ nationis aut Imperij petitionibus sine omni cleri reformatione, sicut & præsens, finitum est: cui moderno frustra de hac ipsa re Cæsareæ Maiestatis et aliorum monarcharum ac potentum admonitiones, quæ iam impressæ extant, propositæ fuêre. Narratur inter alios lepidum apophtegma illius Cæsaris ad quosdam cardinales, qui se cum deliberantibus, ac ad eum di-

centib. oportere inchoari reformationẽ à minoritis respõderit nõ à minoritis sed à MAIORITIS.

Egit& proauus tuus, imperator inclyte, Maximilianus de eisdem electionibus & alijs corruptelis ac abusibus cleri et põtificis: de qua re extat libellus editus à Iacobo Vuimpslingo *vnà cum publico Cæsareæ* M. *edicto.*

Extat etiam verè aureus libellus cẽtum importabilium grauaminum à toto Imperio in comitijs Norimb. anno M D X X I I I *Papæ Adriano oblatus, qui profectò minimè negligẽdus esset. Testatur in eo libello inter alia* Rom. *imperium, Papam iam longißimo tempore exegisse ingentem pecuniam à Germanis sub titulo Annatarum ac contra* Turcos*, quam tamen pecuniam sedes* Romana *interuerterit. Qui infinitus thesaurus si hodie à* Romana *curia extorqueretur, vt iustißimum eßet, posset vel integris* X X *annis amplißimum bellum contra* Turcos *alere.* Ibi *etiam pontifex Adrianus agnouit confessusq; est omnes præsentes turbas ac mala ex curia* Romana *profecta esse. Quare promisit se daturum omnem operam vt ea reformaretur, quo sicut inde morbus ad omnia inferiora membra emanauit, ita etiam sanitas inde exoriatur. Verùm (addidit) quia morbus sit admodum inueteratus, ideo* P E D E T E N T I M *eum curandum esse, quia, teste Aristotele, omnis subita mutatio sit*

valde

valdè periculosa: in quo pedetentim adhuc pedes eorum irretiti tenentur.

Verum omnia ista postulata, querelæ ac conatus perinde irrita fuêre, sicut & fœliciss. imperatoris Caroli V. patrui tui impressa, & à toto imperio confirmata cleri reformatio. Quomodo etiam innumeræ aliæ reformationes Papæ prælatorum ac cleri hisce annis CCCCC. frustra susceptæ fuêre. Ista omnia pontifex alto silentio nunc premit, interea auidè sanguinem & exilia piorum præsertim doctorum sitiens & vrgens vbique gentium.

Hæc iam aliquanto prolixius, Cæsar inuicte, commemoraui, vt ostenderem tum perpetuas fuisse istas orbis terrarum querelas ac flagitationes minuendæ istius intolerabilis tyrannidis pontificũ & eorum importabilium grauaminum, quibus Christianitatem & præsertim Germaniam Imperiumq; onerant: tum etiam maiores ac antecessores tuos non rarò agnouisse eam curam liberandæ Ecclesiæ ac reipub. à tam importabilius oneribus ad se quoque pertinere, seq; ad id diuino etiam mandato obligari cogiq;.

Quod ad meam personam attinet, testor coram Deo, me puram Iesu Christi religionem, secundum Prophetica & Apostolica scripta, triaq; symbola amplecti, cuius aliqua summa in Augustana confessione comprehensa est, quæque cum primitiuæ

Ecclesiæ religione optimè cõuenit. Testor & insuper me adeo ab omnibus sectis erroribusq; à Romano Imperio & Augustana confeßione damnatis abhorrere, vt eas hactenus oppugnando summos labores, infamias, periculaq; subierim, quantumuis aduersarij quiduis de me malitiosè confingant, & audacter, conficto etiam de me nouæ sectæ nomine, spargant.

Offero etiam me ad reddẽdam vitæ & doctrinæ meæ rationem: adhibeatur modo tum ea moderatio, quam olim Ecclesia primitiua, pientißimiq; Imperatores adhibere in Ecclesiasticis rebus ac iudicijs sunt soliti, tum & ea iudicij norma, quam in talibus controuersijs filius Dei adhiberi seuerißimè præcepit, cum dixit, Scrutamini scripturas: & ad Saducæos, Erratis nescientes Scripturas: &, Habẽt Mosem & Prophetas, illos audiant. Qui sunt veluti lucerna pedibus nostris in obscuro loco propositæ. Meum porrò studium erga gloriam Dei publicumq; sacri Romani Imperij, atq; adeo totius Christianitatis bonum cum aliæ meæ vigiliæ, tum etiam hic ipse libellus, & alter ei adiunctus abunde testari potest.

Quare etiã tuæ Cæsareæ maiestati et amplißimis ordinibus, cui Deus gladium suum in honorem boni operis, & terrorem mali, præsertimq; ad aperiendas filio suo portas nutricandosq; eius synceros ministros sanctißimè cõmendauit cõcreditq;

me

me reuerenter suppliciterq; commendo. Multos enim valde veritas offendit, cum alioqui rectè ille optimus gentilium dixerit, nefas esse veritati irasci τῷ ἀληθεῖ χαλεπαίνειν, οὐ θέμις.

Oro autem creatorem cœli & terræ, ac patrē Domini nostri Iesu Christi, qui sibi cœlum, id est, veram religionem retinens, terram filijs hominum tradidit, iubens sibi suum, & Cæsari, quod eius est fidelißimè reddi. sic enim diuisum Imperiū cum Ioue Cæsar habet, per quem etiam solum reges regnant & gentibus dominantur, regnaq; tum conseruantur, tum transferuntur, vt ille vestram Cæsaream M. & illustriß. amplitudines, omnes Christianißimos Imperij status, suo sancto Spiritu regere ac tum ad cœlestem veritatem, aperiendasq; filio suo semper portas, tum etiam in omnem reliquam fœlicitatem clementißimè, propter gloriam nominis sui publicamq; Ecclesiæ suæ vtilitatem deducere dignetur. Amen. In die Matthiæ Apostoli, qui ad functionem prædicandi Christum in locum proditoris Iudæ allectus est. Anno Domini

1566.

QVOD GERMANI NON BENEFICIO PAPAE

imperent iam olim ante annos CCCC *grauißime litigatum decisumque est.*

DIcturus de maximi momenti historia ac controuersia, quo iure ac cuius beneficio Imperialis dignitas ad Germanos peruenerit, omnino operæprecium mihi facturus videor, si prius prolatis authenticis aliquot monumentis ad verbum ex veteribus historijs descriptis, sinequæ omni nostra disceptatione, ostendero hanc ipsam cõtrouersiam, iam olim sæpius, præsertim autem ante annos CCCC inter magnanimũ heroem Fridericũ Ænobarbũ Imperatorẽ & Hadrianum IIII. Papam vehementissimè agitatam ac decisam esse, pacemq; super ea decisione constitutam. Adeo enim iam proximisque aliquot seculis falsæ adulatorum pontificiorum historiæ inualuerunt, adeoq; omnium corda auresq; occuparunt, vt valde verendum sit, ne multi, (vt nũc proh dolor nimis vsitatum est) priusquam vel legant vel audiant hanc tractationẽ, temerè austerissimeq; eam, vt longè

falſiſsimam,condemnent abijciantq́;.

Ergo veluti ſcuti vice contra iſtum temerarium præiudiciorum impetum ante omnia apponam aliquot inuictæ fidei veritatisque teſtimonia veterum, quo illis præiudiciorum temerarijs præcurſoribus repulſis,poſtea tanto quietiore, maturiore,ac grauiore iudicio,omnia in timore Dei & ſtudio veritatis cognoſcantur & diiudicentur. Reperiet verò ſimul hic Chriſtianus lector,tum quàm impudentibus figmentis fabularum, pontifex ac Romani euincere peruicaciſsimè ſint conati, quod Cęſares Germanici ſuo beneficio Imperēt, tum etiam viciſsim quamgrauibus reſponſionibus, & quàmſolidis probationib. contrarium ſit demonſtratū.Sed iam aliquanto propius ad propoſitum accedam,omiſſa lōgiore præfatione.

An Germani beneficio Papæ imperent,ante annos 400 litigatum definitumq́; eſt.

Tota igitur iſta controuerſia.an Imperiū ex dono, beneficioúe Papæ ad Germanos peruenirit,iam olim nēpe ante 40 0. annos inter Fridericum 1. & Hadrianum Papam grauiſsime agitata definitaq́; fuit, vt ex ſequentibus locis hiſtoriæ Othonis Friſingenſis, epiſtolis illorum ipſorum Monarcharum ab Othone ſuæ hiſtorię inſertis pa

t bit-

rebit, quas hîc ordine adſcribam. Vbi primum eſt breuis narratio ipſius hiſtorici de miſsis à Papa ad Imperatorem ſummæ dignitatis legatis, vnà cum literis, qui affirmarent Cæſarem habere Imperium à papa. Deinde eſt excerptum pontificiæ Epiſtolæ hoc ipſum clarè continens. Tertiò eſt grauiſsima negatio Imperatoris, qui vnà cum principibus id figmentum vt falſiſsimum redarguit. Quarto ſunt duæ epiſtolæ; altera aſſerens Cæſarem eius beneficio imperare; altera Cæſaris, affirmans omnia, quę Papa teneat, eſſe dona Cæſaris & principum. Quarto eſt grauis omnium præſulũ Germ. reprehenſio eius Papalis figmenti ac admonitio ad pontificem, vt id noua ſcriptione ac legatione mutet, & Cæſarem placet: poſtremò eſt ipſius Papæ Epiſtola cum legatione ampliſsima, qua humiliter ſua illa priora aſſerta noua interpretatione ac non obſcura recantatione prorſus immutat & inuertit.

Ex cap: 8 Otto Friſingen. lib. III.

At priusquam ad eius prouinciæ negocia, ſeu ordinationem ſtilus ſe porrigat, de legatis Romani pontificis Adriani, ad quid venerint, & quomodo receſſerint, quia & auctoritas eius partis maior eſt, & cauſa grauior, dicẽdum nobis erit. Prolixitatẽ huius

narratiõis nõ causabitur, qui materię põd⁹ ac temporis, quo hæc tempestas protracta est & protrahitur, diuturnitatem diligenter considerabit. Personæ nunciorum erãt Rolandus tit. Sancti Marci præsbyter Cardinalis, & Cancellarius S. Romanæ Ecclesiæ, & Bernhardus titul. S. Clementis præsbyter Cardinalis, ambo diuitijs, maturitate, & grauitate insignes, & penè omnibus alijs in Romana Ecclesia auctoritate maiores. Causa verò aduentus eorum speciem syncerìtatis videbatur habere; sed fermentum & occasionem malorum latuisse postmodũ euidenter deprehensum est. Principe ergo die quodam à strepitu & populi tumultu declinante in cuiusdam oratorij priuatiore recessu prędicti nuncij in cõspectũ eius deducti, ab eoq; vt oportebat, sicut qui Boni se nuncij baiulos assererent, benignè & honestè recepti sunt. Exordium autem sermonis illorũ in frõte ipsa notabile cõparuit quod tale fuisse dicitur. Salutat vos beatissimus pater noster Papa Adrianus & vniuersitas Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ, ille vt pater, illi vt fratres. Paucisq; interpositis, literas quas ferebant protulere.

Fragmentum ex epistola Papæ Had. sequenti capite recitata, in qua Papa affirmat Cæsarem accipere ex suo beneficio coronam

nam & dignitatem imperalem.

Debes enim gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quàm gratanter & quã iocunde alio anno mater tua sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit; quanta cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris: & qualiter Imperialis insigne coronæ libentissime cõferẽs, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere, nihil prorsus efficiens, quod regiæ volũtati vel in minimo cognosceret obuiasse. Neq; tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse; sed si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesiæ Dei & nobis per te incrementa posint & commoda prouenire, non immerito gauderemus. Nunc autem, quia tam immensum facinus, quòd in cõtumeliam vniuersalis Ecclesiæ & Imperij tui noscitur etiam commissum, negligere ac disimulare videris: suspicamur vtiq; ac veremur, ne forte in hanc disimulationem & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, qđ suggestione peruersi hominis zizania seminantis aduersus clementissimam matrem tuam sacrosanctã Romanam Ecclesiam, & nos ipsos, indignationem

(quod absit) aliquã cõceperis vel rancorẽ.

Grauissima Imperatoris & principum negatio, & reprehensio istius vanissimi figmenti Papæ, quæ capite sequenti continetur.

Talibus literis lectis, & per Reinhaldum Cancellarium fida satis interpretatione diligenter expositis, magna principes qui adèrant indignatione commoti sunt, quia tota literarum continentia non parum acredinis habere, & occasionem futuri mali iam iam fronte sua præferre videbatur: præcipuè tamen vniuersos accẽderat, quòd in premissis literis inter cetera dictũ fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem, sibi à Romano pontifice collatam, & insigne Imperialis coronæ, de manu eius Imperatorem suscepisse, nec ipsum pœnitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset, habita consideratione, quanta Ecclesiæ Romanæ per ipsum possent incrementa & commoda peruenire. Atq; ad horum verborum strictam expositionem ac præfatæ interpretationis fidem auditorẽ induxerat, quod à nonnullis Romanorum Temerè affirmari nouerant Imperium Vrbis, & regnum Italicum, Donatione ponficum Reges nostros hactenus possedisse: idque non solum dictis, sed scriptis atq; picturis represẽtare, & ad posteros transmittere. Vnde

de Imperatore Lothario in palatio Lateranensi super huiusmodi picturam scriptum est. Rex venit ante fores iurans prius vrbis honores: pòst homo fit Papę, sumit quo dãte çoronam. Talis pictura talisq; superscriptio principi, quondo alio anno circa vrbẽ fuerat, per fideles Imperij delata cum vehementer displicuisset, amica prius inuectione præcedente laúdamentum (id est consensum) à Papa Adriano accepisse memoratur, vt & scriptura pariter, atq; pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi & discordandi præbere posset materiam. His omnibus in vnum collatis, cum strepitus & turba inter optimates regni de tam insolita legatione magis ac magis inualesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferũt vnum de legatis: A quo ergo habet, si à dño Papa non habet Imperium? ob hoc dictũ eò processit iracũdia, vt vnus eorũ, videlicet Otto Palatinus comes de Baioria (vt dicebatur) prope exerto gladio ceruici illius mortem intentaret. At Fridericus, auctoritate præsentiæ suæ interposita, tumultum quidem compescuit, ipsos autem legatos securitate donatos, ad habitacula deduci, ac primò mane via sua proficisci præcepit, addens in mandatis, ne hac vel illac in territorijs episcopo

rum seu Abbatum vagarentur, sed recta via, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes, reuerterētur ad vrbem. Ipsis itaq; sine efficacia reuertentibus, id quod factum fuerat, ab Imperatore per vniuersum regni ambitū proinde literis declaratur: quarum hic tenor fuit.

Perlege & obserua diligenter hasce Imperatoris literas.

Cum diuina potentia, à qua est omnis potestas, in cœlo & in terra, nobis Christo eius regnum & Imperium regendum cōmiserit, & pacem Ecclesiarum imperialibus armis conseruandam ordinauerit: non sine maximo dolore cordis cōqueri cogimur dilectioni vestræ, qđ à capite S. Ecclesiæ, cui Christus pacis ac dilectionis suę characterē impressit, causę dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi, venenum manare videntur. De quibus, nisi Deus auertat, totum corpus Ecclesiæ cōmaculari, vnitatē scindi, inter regnum & sacerdotium schisma fieri pertimescimus. Cum enim nuper in curia Bisuntij essemus, & de honore Imperij & salute Ecclesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt Legati Apostolici, afferentes se talem legationē nostræ afferre maiestati, vnde honor Imperij non paruum accipere deberet incrementum.

Quos cum prima die aduentus sui honorificè susceperissemus, & secunda (vt mos est) ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus : ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati de altitudine superbiæ, de fastu arrogantię, de execrabili tumidi cordis elatione legationem Apostolicis literis conscriptam nobis præsentauerunt: quarum tenor talis erat. Quod præ occulis mentis semper deberemus habere qualiter dominus Papa Insigne Imperialis corónæ nobis contulerit, neq; tamē pœnitentia moueretur, si Maiora excellentia nostra Ab Eo Beneficia suscepisset. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quæ vnitatem Ecclesiæ & Imperij confouere debuit, quæ vinculo pacis vtrūque colligare studuit, quæ ad vtriusq; concordiam & obedientiam animos audientium allexit. Certè ad vocem illam Nefandam & omni Veritate vacuam non solum Imperialis maiestas debitam indignationē concepit, verùm omnes Principes qui aderant, tanto furore & ira sunt repleti, quòd sine dubio illos duos iniquos præsbyteros mortis sententia damnassent, nisi hoc nostra intercepisset præsentia. (obserua sequētes Romanistarū artes) Porro quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, &

ſchedulæ ſigillatæ ad arbitrium eorum adhuc ſcribendæ, quibus ſicut hactenus conſuetudinis eorum fuit, per ſingulas Eccleſias Thuetonici regni cõceptum iniquitatis ſuæ virus reſpergere, altaria denudare, vaſa domus Dei aſportare, Cruces excoriare nitebantur: ne vltra procedendi facultas eis daretur, eadem, qua venerant via, ad Vrbem eos redire fecimus. Cumque per electionem principum à ſolo Deo regnum & Imperium noſtrum ſit, qui in paſsione Chriſti filij ſui duobus gladijs neceſſarijs regendum orbem ſubiecit, cumque Petrus Apoſtolus hac doctrina mundum informauerit, Deum timete, Regem honorificate; Quicunque nos, Imperialem coronam pro beneficio à domino Papa ſuſcepiſſe dixerit, diuinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & medacij reus erit. Quia verò hactenus honorem & libertatem Eccleſiarum, quæ iam Diu indebitæ Seruitutis iugo depreſſa eſt, à manu Ægyptiorum (id eſt Romanæ curiæ) ſtuduimus eripere, & omnia eis dignitatum ſuarum iura conſeruare intendimus, vniuerſitatem veſtram ſuper tanta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus. Sperantes ne honorem Imperij, qui à cõſtitutione Vrbis & Chriſtianæ religionis inſtitutione, ad ve-

ſtra vsq; tempora glorioſus & non imminu tus extitit, fidei veſtræ indiuiſa ſynceritas, tam inaudita nouitate, tam præſumptuoſa elatione imminui patiatur: ſciens omni am biguitate remota, quòd mortis periculum ante vellemus incurrere, quàm noſtris tem poribus tantæ confuſionis opprobrium ſu ſtinere.

Bulla Hadriani, qua affirmat, quòd Cæſar beneficio Papæ Imperium teneat, ex Auentio adſcripta.

Hadrianus nodum in ſcirpo (vt aiunt) quærit. Imperium eſſe beneficium Romani ſacerdotis, Auguſtumq; precario duntaxat regnare aſſerit. Extat eius ad Hillinum Tre uerorum, Arnulphum Moguntinum, Fride ricum Agrippinenſem archimyſtam epiſto la, ex qua verba ipſius Hadriani ſubtexere operæpretium eſſe duximus. Romanum (inquit) Imperium à Græcis trâſlatum eſt ad Alemannos, vt rex Theutonicorum non antè, quã ab Apoſtolico coronaretur, Impe rator vocaretur. Ante conſecrationẽ Rex, pòſt Imperator.

Vnde igitur habet Imperium, niſi à nobis? Ex electione principum ſuorum habet nomen Regis, ex conſecratione noſtra habet nomen Imperatoris, & Auguſti, & Cæſaris. Ergo per nos imperat. Recolite anti-

qua Zacharias promouit. Carolum, fecit ei nomen grande, vt esset Imperator & aduocatus sedis Apostolicæ, vt Romano episcopo Apulia per eũ pacata esset subiecta, quæ nostra cum vrbe Romana est, non Imperatoris, Romæ nostra sedes est, Imperatoris est Aquis in Ardunnea, quę est sylua Gallię. Imperator Quod habet, Totum habet à Nobis. Sicut Zacharias transtulit Imprium à Grecis ad Theutonicos, ita Nos possumus ab Alemannis tranferre ad Græcos. Ecce in potestate Nostra est, vt demus illud, Cui volumus: propterea Cõstituti sumus à Deo super Gentes & regna, vt Destruamus & euellamus, & ædificemus & plãtemus, &c. Deinde Germanos imbecilles vocat: imbecillitatem illis obijcit, qui Rogerium Italia pellere, Danos, Frisios perdomitare nunquam valuerint.

Literæ Frideri. I. Imperatoris quibus affirmat, quod quicquid pontifex habet ex beneficio ac dono Imperatorum & principum acceperit, ex Nau clero.

Fridericus Dei Gratia Roma. Imperator semper Augustus, Adriano Ecclesiæ catholicæ pontifici, omnibus illis adhærere, quæ cœpit Iesus facere & docere: Lex iustitiæ Vnicuiq; quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus

in hoc regno nostro debitum exhibemus honoré à quib. videlicet progenitorib. nostris & regni dignitatem suscepimus & coronam. Nunquid tempore Constantini Syluester regalis aliquid habuisse dinoscitur? sed eius pietatis concessione libertas concessa est Ecclesiæ, pax restituta, & quidquid regalis papatus vester habere dignoscitur, Largitione principum obtinet, vnde cùm Ro. pontifici scribimus, iure & ex Antiquo nomen præponimus, & ad iustitiæ normá eidem nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales, &c, si lectum neglexistis, quod asserimus illic inuenitur. Ab his autem, qui Dei sunt, per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium ac regalia sacramenta non exigemus, cum ille noster & vester institutor ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit & exemplum vobis dedit vt ita faciatis, docet vos, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant, aut si hæc vtilia curauerit; quæ Dei Deo; quæ Cæsaris, Cæsari persoluant. Cardinalibus vtiq; vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent ciuitates, quia nó videmus eos prædicatores, sed prædatores: nó pacis corroboratores, sed pecuniæ rapto

res: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cũ autem viderimus eos, quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate; necessarijs eos stipendijs & commeatu sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam incurritis, cũ huiusmodi quæstiones religioni non multum conferẽtes, secularibus personis proponitis. Prouideat itaq; paternitas vestra, nedum talia mouet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant: non enim non possumus respondere auditis, cũ Superbię detestabilem bestiam vsq; ad sedẽ Petri reptasse videmus. Paci ecclesiæ bene semper prouidentes, benè semper valete.

Contentio Legatorũ populi Romani cũ Friderico de iure Imperij Cæsarum Germanorum, seu cui ó nam beneficio illi imperent: ex Othone Frisingensi.

At Romanorum ciues de principis aduẽtu cognoscentes, prætentandũm esse ipsius animum legatione iudicarunt. Ordinatis ergo legatis industrijs & literatis, qui eum inter Sutrium & Romam adirent, accepto prius de securitate viatico, sicq; præsentatis rega-

tis regalis excellentię consistorio viris, taliter adorsi sunt. Vrbis legati nos, Vrbis nō paruum momentum, rex optime, ad tuam à senatu populoq; Romano destinati sumus excellentiam. Audi serena mente, benignisq; auribus, quo tibi ab alma orbis domina deferuntur Vrbe, cuius in proximo adiuuante Deo futurus es princeps, Imperator & Dominus, Pacificus si venisti, imò quia, (vt arbitrior) venisti, gaudeo. Orbis Imperium affectas, coronam præbitura gratanter assurgo, letanter occurro. cur enim suum visitaturus populum non pacifice ad te veniret, nō gloriosa munificentia respiceret, qui indebitum excussurus iugum, ipsius magna ac diutina expectatione præstolatus est aduentum? Reuertantur opto pristina tempora, redeant rogo inclytæ vrbis priuilegia, Vrbis Vrbs sub hoc principe recipiat gubernacula, refrænetur hoc Imperatore, ac ad Vrbis reducatur monarchiā orbis insolentia. Talis rector Augusti sicut nomine, sic induatur & gloria. Scis quòd vrbs Roma ex senatoriæ dignitatis sapientia ac equestris ordinis virtute & disciplina, à mari vsq; ad mare palmites extēdens, non solum ad terminos orbis dilatauit, quin etiā Insulas extra Vrbem positas orbi obijciens principatus eò propagines propagauit.

Non illos procellosi fluctus equorum, non hos scopulosæ & inaccessibiles rupes alpium tueri poterant, Romana virtus indomita cuncta perdomuit. Sed exigentibus peccatis, longè positis à nobis principibus nostris, nobili illo antiquitatis insigni, senatū loquor, ex inerti quorundam desidia neglectui dato, dormitante prudētia, vires quoq; minui necesse fuit. Assurrexi, tuæ ac diuæ reipublicę profuturū gloriæ, ad sacrosanctū vrbis senatum equestremq; ordinem instaurandum, qüatenus huius consilijs, illius armis, Romano Imperio, tuæq; personæ antiqua redeat magnificentia. Nunquid hoc placere non debebit tuæ nobilitati? Nonne etiā remunerabile iudicabitur tam insigne facinus, tamq; tuæ competens auctoritati? audi ergo princeps patienter & clementer pauca de tuâ ac de mea iustitia, prius tamē de tua quàm de mea. Etenim à Ioue principium. Hospes eras, ciuem feci: Aduena fuisti ex transalpinis partibus, principem cōstitui. Quod meum iure fuit, tibi dedi. Debes itaq; primò ad obseruandas meas bonas consuetudines, legesq; antiquas, mihi ab antecessoribus tuis Imperatoribus idoneis instrumentis firmatas, ne Barbarorum violentur rabie, securitatem præbere officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio ad

claman-

clamandum erit, vsq; ad quinq; millia librarum expensam dare; iniuriam à republica etiam, vsq; ad effusionem sanguinis propellere, & hæc omnia priuilegijs munire, sacramentiq; interpositione propria manu confirmare. At hæc rex, tam superbo, quàm inusitato orationis tenore, iustà indignatione inflammatus, cursum verborum, (illis de suæ reipublicę ac Imperij iustitia more Italico longa continuatione, periodorumque circuitibus sermonem producturis) interrupit, & cum corporis modestia, orisq; venustate, regalem seruans animum, ex improuiso non improuisè respõdit. Multa de Romanorum sapientia seu fortudine hactenus audiuimus, magis tamen de sapientia. Quare satis mirari nõ possumus, quod verba vestra plus arrogantiæ tumore insipida, quàm sale sapientiæ condita sentimus. Antiquam tuæ proponis vrbis nobilitatem, diuæ tuæ reipublicæ veterẽ statũ ad sydera sustollis. Agnosco, agnosco, vt & tui scriptoris verbis vtar, fuit fuit quõdã in hac rep. virtus: quosdã dico; atq; ô vtinã tam veraciter, q̃ libẽter nunc dicere possemus. Sensit Roma tua, imò & nostra, vicissitudines rerum. Sola euadere non potuit ęterna lege ab auctore omniũ sancitum cũctis sub lunari globo degẽtib. sorte. Quid dicã? Clarũ est, qua-

liter primo nobilitatis tuæ robur ab hac nostra vrbe translatũ sit ad orientis vrbẽ regiam, & per longa annorum curricula, vbera delitiarum tuarum Græculus esuriens suxerit: Superuenit Francus, verè nomine & re nobilis, eamq;, quæ adhuc in te residua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoscere antiquam tuæ Romæ gloriam, senatoriæ dignitatis grauitatem, tabernaculorum dispositionem, equestris ordinis virtutem & disciplinam, ad conflictum, procedentis intemeratam ac indomitam audaciam; nostram intuere rempublicam; penes nos cuncta hæc sunt. Ad nos simul omnia hæc cum Imperio demanarũt. Non cessit nobis nudum Imperium, virtutę sua amictum venit, ornamenta sua secum traxit. penes nos sunt consules tui, penes nos est senatus tuus, penes nos est miles tuus. Proceres Francorum ipsi te consilio regere, equites Francorum ipsi tuá ferro iniuriam propellere debebunt. Gloriaris me per te vocatum esse, me per te primò ciuẽ, pòst principem factum, quod tuum erat, à te suscepisse. Quæ dicti nouitas quàm à ratione absona, quá veritate vacua sit, ęstimationi tuę prudentumq; reliquatur arbitrio. Reuoluamus modernorum Imperatorum gesta, si non diui nostri principes Carolus & Otto, nullius

nullius benefico traditam, ſed virtute expugnatam, Græcis ſeu Longobardis vrbem cum Italia eripuerint, Francorumq; appoſuerint terminis. Docet hæc Deſyderius & Berengarius tyrãni tui,in quibus gloriabaris,quibus tanq̃ principib.innitebaris. Eos à Frãcis noſtris non ſolũ ſubactos & captos fuiſſe, ſed & in ſeruitute ipſorũ conſenuiſſe, vitam finiſſe vera relatione didicimus.Cineres ipſorũ apud nos recõditi euidentiſsimũ huius rei repræſentant indiciũ.Sed dicis vocatione Mea veniſti. Fateor, vocatꝰ fui;Redde cauſam quare vocatus fuerim.Ab hoſtib. pulſabaris, nec propria manu Græcorũ'ue mollicie liberari poteras. Frãcorum virtus inuitatione adſcita eſt, Implorationem potius,quã vocationẽ hãc dixerim.Imploraſti miſera fœlicem,debilis fortem,inualida validum,anxia ſecurum. Eo tenore vocatus, ſi vocatio dicenda eſt, veni; principem tuum militem meum feci, teq; deinceps vſq; in præſentiarum in meam ditionem tranſfudi. Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis, ſi poteſt clauam de manu Herculis. Siculus in quo confides fortè hæc faciet? Ad priora reſpiciat exempla. Nondum facta eſt Francorum ſiue Teutonicorum manus inualida.Deo largiẽte vitaq; comite, & ipſe temeritatis ſuæ quandoq; capere pote

rit experimenta. Iustitiam tuam, quam tibi debeam, exquiris. Taceo, quòd principē populo, non populum principi leges præscribere oporteat. Prætermitto, quòd quilibet possessor possessionem suam ingressurus, nullum conditionis præiudicium pati debeat. Rationē cantendamus. proponis (vt mihi) videtur triū sacramentorum exactionem. De singulis respondeo, Dicis me debere iurare, vt leges antecessorum meorum imperatorum eorum priuilegijs tibi firmatas, & bonas cōsuetudines tuas obseruē. Apponis etiam, quod patriæ vsq; ad periculum capitis tuitionem iurem. Ad ista duo simul respondeo.

Ea quę postulas aut iusta sunt aut iniusta. Si iniusta sunt, nec tuum erit postulare, nec meum concedere. Si iusta, recognosco me hęc & debendo velle, & volendo debere. Quare superfluum erit volūtario debito, & debitę voluntati sacramentum apponere. Quomodo enim tibi tuam institiam infringerem, qui quibuslibet infirmis etiā, quòd suum est, seruare cupio? Quomodo patriā, & præcipuè Imperij mei sedem vsq; ad periculū capitis non defenderem, qui & ipsius terminos, non siue eiusdem periculi æstimatione, quātū, est in me, restaurare cogitauerim? Experta est hoc Dania nuper subacta, Romanoq;

Romanoq; reddita orbi, & fortasse plures ꝓuinciȩ, pluraq; sensissent regna, si prȩsens, negocium non impedisset. Ad tertium venio capitulum, Affirmas pro pecunia quadã iuramẽtum à mea deberi persona: proh nefas: A tuo, Roma, exigis principe, quod qlibet lixa potius petere deberet ab institore. A captiuis hȩc penes nos, exigũtur. Nũ in captiuitate detineor? Nũ vinculis hostiũ vrgeor? nõne multo & forti stipatus milite inclyt9 redeo? cogetur princeps Romanus cõtra suã voluntatẽ cuiuslibet prȩbitor esse nõ largitor? Regaliter & magnificè hacten9 mea cui libuit, & quantũ decuit, & prȩcipuè bene de me meritis dare consueui. Sicut enim à minorib. debitum ritè expetitur obsequiũ, sicà maiorib. meritũ iustè rependitur beneficiũ. hũc quem alibi à diuis parentib. meis acceptum seruaui morem, ciuibus cur negarem? vrbemq; meo introitu lætam nõ facerem? Sed meritò non iusto iniusta petenti, cuncta iustè negantur, &c.

Ex eodem, epistola episcopi Bambergensis de controuersijs Imperatoris & Papæ.

Reuerendissimo patri & domino Eberhardo Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Eberhardus Babergẽsis, gratia Dei, si quid est, cum oratione qualicunq; seruitium deuotissimum. Scio pater sanctissime,

ſacræ pietatis affectu vos compati meis laboribus,& animæ mihi ſalutem & corpori quietem concupiſcere. Vt autem noueritisquoad compati vos mihi oporteat, dico vobis, quòd iam tædet animam vitæ meæ, duo ferens onera in animo meo grauiſsima quòd & cinctus ducor quò nolo, & quàm diu durare debeat ignoro. Veſtris & aliorũ fidelium orationibus adiuuari deſiderans, vt ab illis ſeparer, quibus iurauit Dominus in ira ſua,ſi introibunt in requiem meam. Super hæc, tempora periculoſa inſtare videntur,& prope eſt, vt inter regnum & ſacerdotium moueatur diſcordia. Et quidẽ Cardinalibus à domino Papa ad dominum Imperatorẽ tranmiſsis, dño videlicet Octauiano,& domino wilhelmo quondam Papienſi archidiacono, poſt lene principium & ingreſſum quaſi pacificũ, capitula diuriſsima propoſita ſunt. Verbi gratia: Nuncios ad Vrbẽ ignorante Apoſtolico, ab Imperatore non eſſe mittendos, cum omnis magiſtratus inibi beati Petri ſit, cum vniuerſis regalibus. De dominicalibus apoſtolici fodrum (id eſt annonã) non eſſe colligendũ niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ: Epiſcopos Italiæ ſolum ſacramentum fidelitatis ſiue homagio facere debere domino Imperatori: Neq; nũcios Imperatoris in palatijs.

Epiſcoporum

Episcoporum recipiendos: De possessionibus Ecclesiæ Romanæ restituendis & tributis Ferrariæ, Massæ, Ficaroli, totius terræ comitissæ Matildis, totius terræ, quæ ab Aquapendente est vsq; Româ, ducatus Spoletani, insularũ Sardiniæ, Corsicę, Domino autem Imperatore, super his iustitiam & cõsilium constanter offerente, si & ipsi iustitiam vellent facere & recipere: illis verò recipere tantum volentibus & non facere, hac ratione, quod dominum Apostolicum causæ subijcere, ac iuditio sistere non possent. Et è contrario, domino Imperatore multa proponente de rupta conocrdia, quę in verbo veritatis sibi cõpromissa fuerat, de Græcis, de Siculo, de Romanis, sine consensu cõmuni non recipiendis: De cardinalib. quoque sine permissione Imperiali liberè per regnum transeuntibus, & regalia episcoporum palatia ingrediẽtibus, & Ecclesias Dei grauantibus: de iniustis appellationibus, & cæteris quàmpluribus breuitatem superantibus, cum Apostolicus per nuncium & literas Cardinalium prædictorum ex consensu Imperatoris submonitus, Cardinales alios adhæc omnia complananda requisitus, his qui aderant, nũcijs suis & curiæ principib. nollet adiungere: vnitatis & cõcordię verbum domini desideratũ, peccatisq; nostris

exigentibus euacuatum eſt: Et dum hæc agerētur nuncij Romanorum ſuperuenientes, & ea quæ pacis ſunt rogantes, bene recepti ac dimiſsi ſunt. Rogatu tamen Cardinaliũm dominus Imperator nuncios ad dominum Papam & ad vrbem miſſurus eſt, vt cum apoſtolico, ſi ipſe voluerit, primò loco pax fiat. ſin autem, cum ſenatu & populo Romano. Dominus Imperator in magna eſt gloria, dominam Imperatricem & ducē Baioariæ & Saxoniæ, cum alijs ſuperuenturis principibus & copijs exercitus expectans, & quoſdam de melioribus ex Mediolano & Brixia in vinculis retinens. valete.

Imperator ad hæc verba Cardinalium tale dedit reſponſum, Ibidem.

Quamuis non ignorem ad tanta negocia, non ex animi mei ſententia, ſed ex conſilio principum me reſpondere debere: ſine preiudicio tamen ſapientum hoc abſq; conſulatione reſpondeo. Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto homagium, ſi tamen & eos de noſtris regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint à Romano præſule, quid tibi & regi? Conſequenter quoq; eos ab Imperatore nō pigeat audire, quid tibi & poſſeſsioni? Nũcij os noſtros non eſſe recipiendos in Palatijs Epiſcoporum aſſerit. Concedo, ſi fortè ali-

quis

quis episcoporum habet in suo proprio solo & non in nostro palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt palatia episcoporum, cum profecto omne quod ædificatur, solo cedat, nostra sunt & palatia. Iniuria ergo esset, si quis nuncios nostros à regis palatijs prohiberet. Legatos ab Imperatore ad Vrbem non esse mittēdos affirmat, cum omnis magistratus inibi B. Petri sit, cum vniuersis regalib. Hęc res, fateor, magna est, grauis, grauioriq; & maturiori egens consilio. Nam cum diuina ordinatione ego Romanus Imperator & ..icar & sim, speciem tātum dominantis effingo, & inane vtiq; porto Nomen, ac sine Re, si vrbis Romę de manu nostra potestas fuerit excussa.

Ex literis pontificis ad præsules Germaniæ, capite 15 libro IIII eiusdem contentis, quibus petit Imperatorem in suam sententiam perduci ac placari.

Cum enim nos duos de melioribus fratribus nostris Bernardū tit. S. Clemētis & Rolandū cācellarium nostrum tit. S. Marci præsbyteros Cardinales ad ipsius præsentiam misissemus, ipse, cum primum ad eius præsentiam peruenerunt, alacriter visus est eos recepisse: sequenti verò die, cum redirent ad eum & litteræ nostræ in eius aurib.

legerentur, accepta occasione cuiusdá verbi, quod ipsarum literarum series continebat, insigne videlicet coronę Beneficium tibi contulimus, in tantam animi commotionem exarsit, vt conuitia, quæ in nos & legatos nostros dicitur coniecisse, & quàm inhonestè ipsos à præsentia sua recedere, ac de terra sua velociter exire compulerit, & audire opprobrium & lamentabile sit referre. Eis autem ab ipsius præsentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de regno vestro ad Apostolicam sedem accedat, per omnes fines eiusdem regni custodes dicitur posuisse, qui eos, qui ad Apostolicam sedem venire voluerint, violenter debeát reuocare. Super quo facto, licet aliquantũ perturbemur, ex hoc tamen in nobis ipsis maiorem consolationem accipimus, quòd ad id de vestro & principum consilio non processit. Vnde confidimus eum à sui animi motu, consilio & persuasione vestra facilè reuocandum.

Responsio præsulum Germaniæ ad prædictas literas pontificis sequenti cap. contenta, quib. reprehendunt illud Papale figmentum, & monent, vt id noua legatione ac scriptione reuocet. Ibidem.

His literis taliq; legatione percepta, præ

sules Ale-

les Alemanniæ, commuuicato in vnũ consensu & consilio, sedi Apostolicæ in hæc verba rescribunt. Quamuis sciamus, & certi simus, quòd Ecclesiam Dei fundatam supra firmam petram neq; venti, neq; flumina tepestatum posꝛint deijcere; nos tamen infirmiores & pusillanimes, si quando huiusmodi contingerint impetus, concutimur & contremiscimus. Inde nimirum grauiter conturbati sumus, & conterriti super his, qnæ inter vestram sanctitatem & filium vestrum deuotisꝛimum dominum nostrum Imperatorem, magni mali, nisi Deus auertat, seminarium præbitura vidētur. Equidē à Verbis illis, quæ in literis vestris continebantur, quas per nuncios vestros prudentisꝛimos et honestisꝛimos, dominũ Bernhardum & dominum Rolandum cancellarium, venerabiles præsbyteros Cardinales Misistis, commota est vniuersa respublica Imperij nostri; aures Imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neque aures Principum sustinere. Omnes ita Continuerunt aures suas, quòd nos, salua gratia vestræ sanctisꝛimæ paternitatis, ea tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo Approbare, nec audemus, nec Possumus, eo quòd Insolita & inaudita fuerunt vsq; ad hæc tem-

pora. Literas autem, quas nobis misistis debita cum reuerentia suscipientes & amplectentes, commonuimus filium vestrum, dominum nostrũ Imperatorem, sicut iussistis, & ab eo responsum, Deo gratias, accepimus tale, quale decebat catholicum principem in hunc modum. Duo sunt, quibus nostrum regi oportet Imperium, leges sanctæ Imperatorum & vsus bonus prædecessorum, & patrum nostrorum (obserua diligenter vbi manent bullæ & scrinium iuris pectoris Papæ & ius canonicum.) Istos limites ecclesiæ nec volumus preterire nec possumus, quicquid ab his discordat non recipimus. Debitam patri nostro reuerentiam libenter exhibemus; liberam Imperij nostri coronam diuino tantum beneficio ascribimus. Electionis primam vocem Moguntino archiepiscopo: deinde quod super est cæteris secundum ordinem principibus recognoscimus. regalem vnctionem Coloniensi supremam verò, quæ Imperialis est, summo pontifici; Quicquid præter hæc est, ex abundanti est, à malo est. Cardinales in contemptu dilectissimi & Reuerendissimi patris nostri, & consecratoris à finibus terræ nostræ non coegimus exire. Sed cũ his, & pro his, quæ scripta & scribenda ferebãt, in dedecus & scandalũ Imperij nostri, vltrà

eos pro-

eos prodire pati noluimus. Introitum & exitum Italię nec clausimus edicto, nec claudere aliquo modò volumus peregrinantibus, vel pro suis necessitatibus rationabiliter cum testimonio episcoporum & prælatorū suorum Romanam sedem adeuntibus (Nota) sed illis Abusionibus, quibus Omnes Ecclesię regni nostri Grauate & Attenuatę sunt, & omnes penè claustrales disciplinæ Emortuæ & sepultæ obuiare intendimus In capite orbis Deus Per Imperium exaltauit Ecclesiam. In capite orbis Ecclesia non per Deum (vt credimus) nunc Demolitur Imperium. A Pictura cœpit, ad scripturam pictura (scilicet Lotharij de qua suprà) processit, scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur: Non sustinebimus, coronam antè ponemus, quàm Imperij coronam vnà nobis cum sic deponi consentiamus. picturæ deleantur: scripturæ rectractētur, vt inter regnum & sacerdotium ęterna inimicitiarum monumenta non remaneāt. Hæc & alia, vtpote de concordia Rogerij & Guilhelmi Siculi, & alijs, quæ in Italia factę sunt, conuentionib, quæ ad plenum prosequi non audemus, ab ore Domini nostri Imperatoris audiuimus. Absente autem Palatino comite & in præparatione expeditionis in Italiam præmisso, de Cancellario

ibidem adhuc præſente aliud non audiuimus, niſi quod humilitatis erat, & pacis, pręter quòd legatis pro periculo vitæ, quod à populo imminebat, pro viribus ſuis aſtiterit, cunctis, qui ibi aderant, huius rei teſtimonium eis perhibentibus. De cętero ſanctitatē veſtram ſuppliciter rogamus & obſecramus, vt noſtrę parcatis infirmitati, vtque magnanimitatē filij veſtri, ſicut bonus paſtor leniatis ſcriptis veſtris, ſcripta priora ſuauitate mellita dulcorantibus. quatenus & Eccleſia dei tranquilla deuotione lætatur, & Imperium in ſuæ ſublimitatis ſtatu glorietur, ipſo mediāte & adiuuante, qui mediator Dei & hóminum factus eſt homo Chriſtus Ieſus.

Nouę literæ ac legatio Papæ, qua totum illud ſuum figmentum de beneficio Imperij Germanis collato, artificioſa interpretatione tollit, ac non obſcurè recantat, pollicetur q; ſe poſthac Imperij iura minimè violaturum eſſe: ex eadem hiſtoria.

Friderico igitur, vt iam dictum eſt, caſtra in campeſtribus Auguſtę ciuitatis metato, ad ſuam pontificis legatos admittit præſentiam, eiſq; clementer receptis caſuam aduentus exquirit: illi reuerenter ac demiſſo vultu, voce modeſta; tale ſuæ legationis aſſumunt principium. Pręſul ſanctę Romanę Eccleſiæ,

Ecclesiæ, vestræ Excellentiæ deuotissimus in Christo pater salutat vos, sicut charissimum & specialem sancti Petri filium: salutant etiam vos, venerabiles fratres nostri, Clerici autem Vestri, vniuersi Cardinales tanquam Dominum & Imperatorem Vrbis & orbis: Quanta dilectione sancta Romana Ecclesia amplitudinem & honorem Imperij vestri amplectatur, quàm, sine conscientia peccati vestram satis inuita sustinuerit indignationem, & scripta præsentia, & in ore nostro positæ viuæ vocis officium declarabit. Post hæc verba literas offerunt, quæ venerabili Ottoni Frisingẽsi episcopo ad legendum, simul & interpretandum datæ sunt, viro vtiq;, qui singularem habebat dolorem de controuersia inter regnum & sacerdotium. Exemplar literarum hoc est.

Ex quo vniuersalis Ecclesie curam Deo, pro vt ipsi placuit, disponente, suscepimus; ita in cunctis negotijs magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die indiem animus tuus magis ac magis in amore nostro & veneratione sedis Apostolicæ debuisset accendi. Vnde sine grandi admiratione non ferimus, quòd cum audito ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus, & maioribus fratribus

noſtris Rolandum ſcilicet Cãcellarium tit. S. Marcij & Bernardum tituli S. Clementis, præsbyteros Cardinales, qui protuę maieſtatis in Romana Eccleſia ſoliciti ſemper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præſentiã deſtinauimus, aliter quã Imparialem decuerit honorificentiã ſunt tractati. Occaſione ſiquidem cuiuſdam verbi, quod eſt beneficium, tuus animus, ſicut dicitur, eſt commotus: quod vtiq; nedum tanti viri, ſed nec cuiuſlibet minoris animũ meritò commouiſſet. Licet enim hoc nomen, quod eſt Beneficium, apud quoſdam in alia ſignificatione, quàm ex impoſitione habeat, aſſumatur: tunc tamen in ea ſignificatione accipiendum fuerat, quam nos ipſi impoſuimus, & quam ex inſtitutione ſua noſcitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto eſt editum, & dicitur beneficiũ apud nos, non feudum, ſed Bonum factum. In qua ſignificatione in vniuerſo ſacræ ſcripturæ corpore inuenitur, vbi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, ſed velut ex benedictione ac bono facto ipſius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidẽ magnificentia liquido recognoſcit, quod nos ita benè & honorifice Imperialis dignitatis inſigne tuo capiti impoſuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Vnde

quod

quòd quidam verbum hoc & illud, scilicet Contulimus tibi insigne imperialis coronę à sensu suo, nisi sunt ad alium detorquere, non ex merito causæ, sed de voluntate propria & illorum suggestione, qui pacem regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum contulimus, nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictũ est Imposuimus. Sanè quòd postmodum personas Ecclesiasticas, à debita sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ visitatione, vt dicitur, reuocare iussisti, si ita est, quàm inconuenienter actum sit, tua fili in Christo Charissimè discretio, vt credimus, recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuncios & literas tuas nobis fuerat intimandum, & nos honori tuo curauissemus, sicut filij Charissimi, prouidere. Nunc igitur quoniam ad commonitionem dilecti filij nostri Henrici Baioariæ & Saxoniæ ducis duos de fratribus nostris Henricum tit. S. Nerei & Achillei, & Iacintũ S. Mariæ in Cosmidin diaconos Cardinales, prudentes siquidẽ & honestos viros ad tuam præsentiam destinauimus, celsitudinem tuam monentes & hortantes in domino, quatenus eos honestè & benignè recipias, & quòd ab eis ex parte nostra tuæ magnificentię fuerit intimatũ, à sinceritate

cordis nostri nouerit tua Excellentia præcessisse; ac per hoc & cum eisdem filijs nostris, mediante iam dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat conuenire, vt inter te ac matrem tuam sacrosanctam Romanã Ecclesiam nullius descordiæ seminarium debeat remanere.

Quomodo Imperator à legatis pontificis placatus fuerit: Ibidem.

Lectis & benigna interpretatione expositis literis, Imperator mitigatus est, Clementiorq; factus, quasdam causas alio loco memorandas, quæ seminarium discordiæ præstarent, si non congrua emendatio interueniret, legatis per capitula distinxit. Quibus ad Nutum principis, & per Omnia bene respondentibus præsulemque Romanum in Nullo regiæ Dignitati derogare, sed honorem ac iustitiam Imperij semper Illibatam, conseruare pollicentibus pacem & amicitiam, tam summo pontifici, quàm omni clero Romano reddidit, eamq; signo pacis & osculo absentibus per præsentes destinauit. Sicq; hilariores facti legati, donatiq; regalibus muneribus diuertunt in ciuitatem.

Hinc liquido cernis, candide lector, vt iã olim pontifices & eorum Romanistæ non solum possesione Vrbis Romæ Imperatores Germanicos priuare sint conati, sed etiã

eos

eos vanissimis figmentis ac mendacibus historijs & picturis persuadere voluerunt quòd Imperialis dignitas eis suo beneficio contigerit, eoq; eos pro suis feudatarijs aut beneficiarijs iuramētoq; sibi obstringendis & deniq; tributarijs habere voluerint. Qualis inter alias vanissimas historias fuit illa quoque per picturam in palatio Lateranensi expressa, cum hoc disticho, de qua suprà prolixius auditum est.

Rex venit antè fores, iurans prius Vrbis honores, pòst homo fit Papæ, sumit quo dāte coronam. Verùm tunc mascula Imperatorum Germanicorum virtus, eruditio ac obedientia presulum erga suos Imperatores, & concors principum in defendenda Imperij dignitate cum suis Cęsaribus consensus, facilè illas fraudes & nequissimas Antichristi machinationes discussit. Quæ omnia nunc quoq; in tanta præsertim veritatis luce, omnes verè pij ac cordati cumprimisq; potentes, pro sua fide, qua patriæ, imperio, & afflictæ Christianorum Ecclesiæ, gloriæque Christi, mandato viuentis Dei obstricti tenentur, peruestigare expendereque, & in timore Dei strenuè, exequi profectò deberent, scientes scriptum esse: Maledictus, qui facit opus Domini fraudu-

lenter aut negligenter.

Hac pace per reuocationem Papæ proculdubio ſimulanter & per fraudem facta, nihilominus denuo hic idem pontifex noua bella contra eundem Imperatorem excitauit, atq; adeo etiã tandem eum excommunicare, contra omne ius ac fas auſus eſt. Sed tandẽ iuſtiſsimo Dei iudicio ſtupendo que prorſus exẽplo punitus, & planè euerſus eſt. Cuius etiam miraculi narrationem ex Vrſpergenſi Abbate & hiſtoria hîc adſcribemus.

Eo tempore conſpiratio facta eſt contra Imperatorem, vt aſſerit quidã ſcriptor Cremonenſis, de cuius editione hæc quæ narramus excerpſimus. Idem quoq; ſcriptor teſtatur hæc ſe audiſſe à viris probatiſsimis, & veraciſsimis, & valde religioſis, Mediolanenſibus & Brixienſibus, qui ſe huic conſpirationi interfuiſſe dixerunt. In qua conſpirantione ſe aſtrinxerũt maxima pars cardinalium ſedis Apoſtolicæ. wilhelmus quoque rex Siciliæ, & penè vniuerſæ ciuitates Italiæ cum multis Baronibus & viris potentibus: dataque eſt immenſa pecunia domino Hadriano Papæ, vt ipſe Imperatorem excommunicaret.

Refert ſupradictus ſcriptor Cremonẽſis, videlicet,

videlicet, Ioannes sacerdos, quòd supradictis testimonijs bonorum virorum didicerit, qui interfuerunt, quòd illa conspiratio cum Apostolico Hadriano iuramentis adeo firmata sit, vt nullus ab altero recedere posset, vel Imperatoris gratiam sine omnium consensu requirere. Quod si mortuus esset Papa ille, de numero conspiratorum alium eligerent cardinales. Sanè Deus qui per os Psalmistæ Dauid clamauit contra excommunicationem Papæ per pecuniam corrupti, declarauit illud propheticum esse verum, Maledicent illi, & tu benedices, qui insurgunt in me, confundantur: seruus autem tuus lætabitur. Cuius versus tres articuli in hoc negocio euidentissimè sunt adimpleti. Primum namq; articulũ de maledictione seu benedictione Dei, ipsi Deo relinquamus: ceterùm ex duobus consequentibus constabit primùm non ex Deo, sed ex Diabolo processisse. Vt enim adimpleretur illud propheticum. Qui insurgunt in me, confundãtur. Factum est, vt cũ prȩfatus Hadrianus apud Anagniam denunciaret excommunicationem contra Imperatorẽ, paucis diebus euolutis cœpit procedere refrigerandi gratia cum suis. Cumq; venisset ad quendam fontem, hausit de potu illius,

& continuo, vt dicitur, musca quędã os eius intrâuit, & gutturi eius adhęsit, nulloq; artificiô medicorum auelli potuit, quo ad vsq; spiritum exhalaret. Tunc cardinales in electione summi pontificis dissentire cœperũt, &c. Habes ergo hîc etiam diuinam decisionem sententiamq; de ista imperiali controuersia.

Hactenus igitur recitaui vetusta ac planè dignissima fide testimonia, quod iam olim sit ista cõtrouersia de origine iureq; Imperij Germanorũ decisa. Nunc igitur reliquũ est vt secundũ propositũ nostrum ipse etiam aliquanto prolixius de eadem controuersia ordine distinctis capitibus & quæstionibus, differã, omniaq; firmissimis testimoijs communiam.

Prolegomenon Finis.

DE TRANSLATIONE IMPERII ROMANI AD GERMANOS.

QVandoquidem Pontifex Romanus non tantùm falſa religione Eccleſiam, & gloriam Dei premit ac obſcurat, ſed etiam externa tyrannide, eaq; multiplici, præſertim verò quòd, dum iactat ſe Rom. Imperium ad Germanos tranſtuliſſe, imperatores vt ſuos quoſdam vaſallos indecorè tractat, & durißimis veræque pietati, ac etiam Germaniæ libertati noxijs iuramentis intricare & illaqueare ſolet: ideo ad Dei gloriam, & Eccleſiæ reique publicæ vtilitatem, hoc quoque vt vaniſsimum, ita & pernicioſiſsimũ figmentum iſtius ſpiritualis ſimul ac politici tyranni, Chriſto me per Spiritũ ſuum regente, ac in omnẽ veritatem ducente, certis hiſtorijs & argumentis redarguam.

Primùm itaque, veluti prologi loco duas propoſitiones declarabo & probabo: quarum prior quidem eſt, quòd Deus re-

gna, monarchias aut principatus, non per Paparum ceremonias & coronationes, sed per ius gladij aut belli plerunque transferre soleat: Posterior verò, quòd papa non verè transtulerit Imperium ad Germanos, eisúe id ius largitus sit, deinde historicè exponá, quo modo & quando ac per quos facta si imperij occidẽtalis ad Germanos trás latio. Nunc igitur institutas sentẽtias (Christo inuocato) ordine pertractemus.

QVOD REGNA AC IMPERIA,

nõ sacrificorum ceremonijs, sed gladio ac iure belli transferri soleant

Caput I.

TEstatur id Deus illa nobili Monarchiarum pictura diuinitùs Danieli monstrata, vbi quatuor bestiæ surgunt, Leo, Vrsus, Aries, & Hircus, ac ex permissione voluntateque illius antiqui dierum fortissimè pugnando, comedendo, comminuendo, & pedibus proculcando alia animalia, quin etiam inter se confligendo fiunt potentes, omniaq; obtinent. Hæc est Deo vsitata ratio transferendi regna ac potentatus. Testatur enim Deus Dan. 2 & 4. sua esse omnia regna, seque ea dare cui velit

velit. Ille igitur cum vult, aduocat bellum ac gladium, & vel punit, vel etiam prorſus delet gentes & regna, nouamque eis fo..ná pro ſuo libitu tribuit. Deponit hoc modo præpotentes reges de ſolio ſuo, & exaltat infimos, abiectiſsimosque.

Idem perpetua experientia confirmat. Sic enim Nembrotus, Ninus, Semiramis & alij ſunt facti robuſti venatores coram Domino, & ab eo excitati, & ipſi miniſtrantes in conſtituendis nouis regnis aut monarchijs. Sic Aſſyrium regnum creuit gladio, dũ tot gentes deuicit, & porrò Chaldaicum aut Babylonicum, oppreſſo Aſſyrio. Sic iure ac vi belli aut gladij, imperium tráſiuit à Babylonijs ad Perſas, à Perſis ad Macedonas, à Macedonibus ad Romanos, & à Romanis ad Germanos. Agendo & bellando, inquit Liuius, res Romana creuit, nimirum, non ſacrificorum ceremonijs. Sic à repub. Romana dominium tranſijt ad Iulium & Auguſtum, deletis fermè penitus principibus Romanæ reipub. Sic poſtea innumeri, Deo ita mirabiliter ordináte, Imperatores facti ſunt gladio, punienteque eo per illos anteceſſores eorum. Qui ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam cauſſam habuerint mouendi bellum, tamen pro veris Imperatoribus neceſſariò fuerint agnoſcendi,

quandoquidem illis Deus victoriam & eam potentiam, experientia ipsa testante, largitus est.

Hanc rationem transferendi regna ac dominia declarat Deus, Iere. 27, dum dicit, omnia esse sua, seque omnia condidisse, & nunc se omnia regna dedisse regi Babylonis, per quem sit atrocissimè puniturus omnes eos, qui ceruicem suam eius iugo nõ subiecerint. Hunc etiam modum transferendi Imperia & principatus, pingit Deus elegantissimè, Isaiæ 45, dum dicit, se inde ex Perside aduocasse suum Meschiam Cyrum, seque eum manu ducturum, vt puerum; se etiam præcessurum ante eum, vt omnia inuia & ardua faciat prona, plana, & peruia, vtque ei omnia munitissima & obstructissima pateant, nec quisquam illi resistere posit.

Hæc admirabilis ratio ac consuetudo Dei agnoscenda & admiranda est, non tantùm pro mero quodam latrocinio habẽda, vt à multis fieri solet, qua Deus vi ac iure gladij & belli alios extollit, alios deprimit, regnaque ac principatus, cui vult, donat, aut adimit, fert; aut transfert, non expectata Romani sacrificuli aut Antichristi potius ceremonia, vel benedictione, eius'ue iã degeneris plebeculæ, seruili & adulatoria

accla

acclamatione.

Hac etiam diuinitus ordinata via Germanica natio longè amplissima & robustissima, Occidentale Imperium occupauit, dum etiam ante Carolum Magnum, profligatis potenter & gloriosè tot Romanis exercitibus, omnes eius prouincias, & Italiam ac Romam ipsam occupauit & obtinuit; sed aliquanto tamen quietius & certius postea per Carolum Magnum, & sequentes Imperatores eadem omnia possedit.

Dei igitur solius est iste titulus, Mea sunt omnia: ego do ea cui volo: ego transfero regna, ac Monarchias de gēte in gentē pro meo arbitrio. Horrenda ergo blasphemia est, quòd Antichristus, sicut in alijs omnibus se Deo exęquauit, imo & supra eum extulit, ita in hoc quoque gloriatur, suum esse transferre imperia ac regna ad quemcumque velit, seq; transtulisse Imperium à Græcis ad Francos, & porrò â Francis ad Germanos, breuiq;id ob horum hæresim ad alios, fortè ad Turcas, cum quibus aliquando conspirat, translaturum.

QVOD NON SIT FACTA PER *Papas Imperij translatio à Græcis ad Germanos, probatur sequentibus rationibus.*

QVIA id asserunt probantque duo summi viri, idq; non temere suóue arbitrio, sed ex vetustis historijs, nempe Nicolaus Cusanus cardinalis, & Heinricus Kaltheisen Archiepiscopus Nidrosiensis, & Papæ domesticus, qui ante centum annos mortui sunt; quorũ testimonia in fine adijciam.

II. Secunda ratio sit, quia Papę, testantib. id ipsorum proprijs iuribus, nõ sunt à Deo constituti Domini aut gubernatores temporalium dominiorum, sicut ipsemet Christus negat suum regnum esse de hoc mũdo: negat se esse constitutum iudicem rerum ac litium terrenarum: prohibet quoque apostolos, ne dominentur politicè, inquiens, Reges gentium dominantur, vos autem nõ sic. Iubet etiam eos esse seruos & omnium minimos. Quin D. Petrus, quo sese isti fundatore iactant, iubet presbyteros politicis gubernatoribus obtemperare. Quod igitur ius Christus hîc in terris non habuit, & nõ tã tum nõ tradidit suis apostolis, sed etiã

seuerissimè prohibuit, id profectò nec Petrus, nec Papæ, etiamsi centies Vicarij Christi essent, habere poterunt.

III. Quia ipsemet Carolus iure ac vi belli occupauit occidentale Imperium, antequàm Leo eum coronaret. Et ipse quoq; illam pompam ac ceremoniam sibi sua authoritate procurauit, teste Alciato & Gotfrido, quorum dicta postea ascribam. Sicut sæpe antea Imperatores Romani & postea Germanici sibi suisque liberis tales pompas ac publicas declarationes initæ dignitatis fieri effecerunt.

IIII. Quia alij historici id factum Senatui populoque Romano tribuunt, non Papæ vt est Æneas Syluius, Leopoldus de Bebemburg, Blondus & Sigebertus, alijq;. Habuit verò tunc Senatus populusque Romanus adhuc aliquid iuris & libertatis, nec fuit ita in seruitutem redactus à Papis, vt aliquot seculis postea. Cuius sententiæ est etiam Onuphrius Panuinus recentissimus historicus, natione Italus: Auito autem imperandi more CCCXXV interregni anno restituto, postea abdicante Augustulo Imperium occidentale esse desierat, Caroloque Magno Francorum rege Romæ, S. P. Q. R. suffragijs Imperatore appellato, atque à Leone III pontifice

Maximo more Imperatoris Constantinopolitani inunćto, & aureo diademate redimito, nouæ quædam paulatim succreuerũt in hoc Imperio consuetudines.

V Quia eam dignitatem habuit Carolus multiplici iure, à suis maioribus iurę gladij, & insuper ex cõcessione Constantinopolitanorum Imperatorum, vt postea dicetur.

VI Quia incertissimæ narrationes illius translationis, eam vanitatis redarguũt. Aliqui, vt Vincentius & Ioãnes And. & quodam Chronicon, quod citat Leopoldus de Babenberg, asserunt translationem Imperij factam esse à Stephano Papa, in Pipinum Caroli patrem, anno Domini 753. Antonius Rosellus, qui diligentissimè de Monarchia Papę & Cęsaris disseruit, scribit esse factam anno Domini 755. Sic & Martinus, Glossa Decretalium, dicit factam esse translationẽ anno 776. Alij tribuunt id Adriano, teste Dante, inter quos etiã Antonius Rosellus; & denique alij Leoni, quo etiam Leopoldus qui diligẽter de hac re scripsit inclinat. Huius sententiam nunc Papistæ sequuntur tametsi sit hisce proximis annis edita quædã nobilis summa iuris Ecclesiastici Venetijs cum omnium fermè Monarcharũ, & etiam Papæ priuilegijs, & approbatione, titulo, Paparum speculum, Imperatorum, &

regum

regum, quæ id factum Stephano Papæ adſcribit.

Qui quæſo poſsibile eſſet tam illuſtre factum, & quod tam multorum intereſſet certò ſciri, ſi modò vnquam verè factũ fuiſſet, adeo tenebris ignorantię, obliuioniſúe inuolui, vt tam diuerſa atque adeo contraria ipſorum proprij hiſtorici ſcriberẽt? Quare iſta ipſa pugna narrationum iſtius figmẽti eius vanitatem liquido redarguit.

VII Quia euidens indicium falſitatis iſtius tranſlationis illud quoque eſt, quod Gratianus, qui diligentiſsimè talia congeſſit, nullam iſtius tranſlationis Imperij mentionem facit, cum alioqui ambitioſe omnia põtificum decora oſtentet, imo amplificet; & ſi quid in Imperatores beneficij contulerunt, prædicet.

Audet Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribens XV q. VI. Can. Alius affirmat Zachariam Papam depoſuiſſe Hildericum regem Francorum, & tranſtuliſſe in Pipinum Caroli patrẽ, de quo tamen mendacio eum illic gloſſa propria, Annonius hiſtoricus Francorũ, & Radulphus de Columna redarguũt: Gloſſa tamẽ facetè illud mendacium exponit, dum verbum depoſuit exponit, per deponentibus conſenſit. Tale mendaciũ cum auſus ſit Papa

ille confingere, & Gratianus suæ rapsodiæ decretorũ inserere, centies profectò promptius illud illustrius factum translati Imperij, tum Papa, tum & Gratianus allegassent.
VIII. Cognatum huic est, quod Leo VIII in restitutione aut recognitione priuilegiorum Othoni primo facta, cum concessionis, aut potius confessionis Adriani secundi, qua se cũ populo Romano Carolo subiecerat, mentionem honorificam faciat, nihil prorsus, ne verbulo quidem vnico de trãslatione Imperij dicit, cum multo profectò iustius huius tãtæ rei meminisse debuisset. Quærit enim in veteribus actis fundamentum huius suæ nouę concessionis aut largitionis, quod centuplo iustius posuisset in illa tam gloriosa Imperij translatione, si quæ à Leone facta fuisset, vt isti fingunt, quàm in Adriani sola patriciatus concessione. Quare cum in illa tam seria solennique actione inter Leonem VIII, aut potius totam eius Synodum, & Othonem primum nulla prorsus mẽtio fiat istius trãslationis, merum profectò figmentũ esse liquido patet. Hæc profectò euidentissima demõstratio est, recta ratione hoc negotiũ expẽdẽti.
IX. Quia multi id factum adscribunt Senatui populoque Romano, Alij ipsi Carolo, qui sibi id vltro sumpserit, suo arbitrio
ac iure

ac iure, vt tali pompa honoraretur; ficut & ipſam rem aut dominiũ ſibi gladio iam pridẽ rapuerat. Quorũ ſentẽtia nõ eſt ille actus donatio aut translatio quædã, ex libera volũtate, ſpontaneoq́; motu populi ac Papę facta, quod vel maximè in natura donationis requiritur ſed debitum iuratorũ, ſubditorũ erga ſuum dominũ obſequium. Quare non magnum meritum Papæ eſſe potuit in eo, quod Cæſar ſibi ſuo iure arbitrioque, volẽtibus nolentibus'ue illis deſumpſit.

X. Quid verò impudentius aut vanius fingi poteſt quàm Papam aut plebem Romanam potuiſſe, vel etiam auſos eſſe, transferre aut donare cuiquam ſupra ſe Imperiũ qui iam dudum amiſſa libertate, iurata mãcipia imperatorum erant? Ipſimet Carolo iam amplius 20 annis antea ſub Adriano omnem poteſtatem Imperatorũ Conſtantinopolitanorũ in Romã, Italiam & Papas ipſos (quam ipſe alioqui armis acquiſierat) põtifex ac Romani integraq́; Synodus, adhibitis etiam iuramẽtis, & anathematibus cõſenſerant, eiusq́; ſeſe ſubditos, & veluti mancipia recognouerant, aut confeſsi fuerant, vt id ipſum proprium eorum ius, diſt, 63. & omnes hiſtoriæ teſtantur. Quid ergo ſtultius & ineptius excogitari poſſet, quàm iuratos ſubditos Caroli poſſe vel audere

ipsi donare orbis terrarum Monarchiam? superioris est conferre dignitatem ac potẽtiam in inferiores, non econtra.

XI Testantur quoque omnes historici, etiam ij, qui Papis sunt addictissimi, Leonẽ Papam mox, vt electus fuit in Papam, misisse ad Carolum Magnum legationẽ vnà cũ clauibus S. Petri, quod est papale insigne, & vexillis vrbis Romæ cũ aquilis, petijsseq; iuxta Synodum Adriani, cõfirmationem sui, & vt aliquis mitteretur, qui Romanos Carolo denuo iuramẽto astringeret, quod fuit extremæ subiectionis indicium.

Quare etiam paulo pòst orto dissidio inter Papam & Romanos, tum ipse Papa ad Cæsarem, vt suum superiorem confugit: tum & Romani eodẽ suos accusatores miserunt, vt sic vtriq; sint testati eum esse suũ legitimum iudicem ac dominum. Quàm fœda ergo tandẽ est ista vanitas, quòd Papistæ fingunt, illos seruos aut mancipia Caroli, Imperium Romanum in Carolum transtulisse, eumque sibi, vt vasallum quendam dato feudo obligasse; vt nunc arctissimis iuramentis Cęsares sibi obstringunt, & etiam ad turpissima pedum oscula adigunt.

XII Ipsa vox TRANSLATIO eos euidentissimè mendacij redarguit: nã si transtulerunt Papæ Imperium à Græcis

ad

ad Francos, ſequitur Græcos eſſe planè priuatos imperiali dignitate. At proferant vel vnicum teſtimonium aut hiſtoriam, aut Papæ aut Cæſaris alicuius, aut etiam alterius veteris ſcriptoris, aut Satrapę, qui obijcere ſit auſus Conſtantinopolitanis Imperatoribus; aut etiam alioqui ſcripſerit, imperium ab eis in alios tranſlatũ eſſe, eos nõ amplius eſſe imperatores. Denique Decretalis Solita clarè Cuſtantinopolitanũ regẽ vocat Imperatorem Rom. quin potius cõtra Papæ ſcribentes poſtea Conſtantinopolitanis Imperatoribus (vt Nicolaus Michaêli, Ioan. VIII. Baſilio, & alij alijs) ſemper eos nõ minus Imperatores Rom. vocarunt, quàm antea. Hoc indicium profectò manifeſtè redarguit mendacij iſtã hiſtoriam trãſlationis: tantum igitur cõmunicatio aliqua dignitatis ab illis imperatoribus in hoſce facta eſt, non totalis tranſlatio.

XIII Quacunque omnino parte, aut quaſi lacinia, quis iſtam narrationem tranſlationis Imperij apprehendit, mox liquidò animaduertit eſſe vaniſsimũ mendacium. Fingunt enim illi Carolum ignoraſſe Papæ conſilium, & decretum Senatus populique Romani, de transferendo in eum Imperio: O mirum tum illorum ſilentium, tum & Caroli in explorandis rebus

negligentiam ac somnolentiam, cum alioqui tantus ac tam strenuus, cautusque gubernator sit solitus etiam minimos motus conatusque præsentiscere, vt est gubernatorum officium.

Dicunt ei inuito & recusanti esse coronám & nomen Imperatoris obtrusum. O miram & præposteram modestiam, aut etiã humilitatem Caroli. Illé ne nomen Imperij valde recusasset, qui eius possessionẽ nõ tã tùm ingentib. curis ac laborib. sed etiam penè infinito suo ac suorum & aliorum Christianorum sanguine quæsierat & acquisierat, diligentissimeque retinebat ac possidebat? Fingunt item die natalis Domini, illam tam solemnem actionem, idque in templo esse habitam. Ita ne tam curtis diebus, tam sacro festo & in tam multis sacris actionibus verisimile est politicam, eamque tam grandem difficilemque actionẽ esse peractam? vt stata illorũ sacra ritusq; impedirẽtur â tã religioso imperatore.
XV. Quis verò dubitat, si Papa ac Romani, sponte, suoq; arbitrio Imperiũ â Græcis in Francos transferre tunc potuissent, voluissentq;, eos certis firmisq; pactionibus ac conditionibus cum Carolo acturos fuisse, quibus tum sibi, tum etiam alijs regionibus & hominibus cauissent de certa quadam libertate

bertate & immunitatibus ac priuilegijs, vt sunt homines non tantùm cauti, meticulosi ac suorum commodorum cupidi; & denique exteris, imprimisq; istis, quos vocant barbaros & vltramontanos parũ fidentes; præsertim cum viderent eos adeo bellandi & omnia occupandi cupidos. Non sine causa profectò tunc iactarunt illud prouerbiale dictum, Francum amicum habeas, sed nõ vicinũ. Quis etiam dubitat, si vllæ tales pactiones factę fuissent, eas vel in lapideis, aut ęreis tabulis incidẽdas fuisse, earũq; mẽtionẽ plurimos scriptores facturos, Papas illa iura ꝑpetuo iactaturos fuisse? At nũc nihil prorsus istorũ legitur nec minimũ quidem.

XVI. Verùm vt hisce quoq; argumentationibus sententiæq; finẽ imponamus, hoc vnum quæro â pontificijs seductorib. cum constet Carolũ amplius 20 annis, ante illã Leoninam, penè dixissem vulpinam, Papæ coronationẽ, totum occidentale Imperiũ occupasse & tenuisse, hoc inquã quęro, num iure occupauit & tenuit, fuitq; legitimus eius Monarchiæ possessor? Iniustè eum occupasse ac tenuisse non audebunt, credo, dicere. Si verò iustè occupauit ac tenuit totũ Occidentale Imperiũ tot annis ante Papatum Leonis, quomodo potuit Leo Imperiũ Rom. in eum transtulisse, aut quid tan-

dem ei adiecit, vt maximè aliquid adiecisset ex pleno ac summo iure aut potestate, quod isti fingere posſint & auſint Papā habere? Nempe tantum nudum nomen ſine re, ac ſine omni iure poſſeſsionis tantæ rei. Nam & facto & iure iam diu habuit totius occidentalis Imperij poſſeſsionē, idq; ipſorum proprijs iuramentis confirmatam.

Hæc vnica profecto ratiocinatio poſſet totam iſtam cōmentitiam Papæ tranſlationem Imperij euertere. Quod enim quis iādiu, tam iure quàm facto habuit, poſſedit, & pro arbitrio adminiſtrauit, hoc nemo ei nunc donare dici poteſt. Hoc ſanè vel pueris, vel penè truncis apparet.

Sed fortè perget aliquis Paparum adulator, contrà argutari, nihilominus Papas trāſtuliſſe Rom. Imperium in Carolū, quia Zacharias & Stephanus dudū ante orauerint Carolum & patrē ipſius Pipinū, vt defenderent ſanctā ſedē & vrbem Rom. ac patrimoniū Petri cōtra Lōgobardicos tyrānos.

Reſpondeo, ſic quiſuis miſer implorat alicuius potentis opem contra potentiorē iniuſtè ſecum agentem. Sic quiſuis miſer captiuus in Turcia, poſſet cuiusuis reguli aut dynaſtę chriſtiani implorare opem cōtra Turcicā tyrannidem. Num verò ſi talis quispiā imploratus ſtudio ſuccurret il

lis

lis miseris expugnaret Turciũ regnum, dici iure posset ille miser, huic suo liberatori aut opitulatori Turcicũ regnũ donasse? Liquidò ergo patet, hinc quoq; nõ Papas suis ceremoniolis, aut degener vileq; vulgus Ro. suis seruilibus adulationibus, sed Deum ipsum Carolo & Germanis, per ipsorũ gladiũ tradidisse Occidentale Imperium.

Quod autem nihilominus aliqui dicunt, talem quandam pompã esse celebratã Romæ, vt Carolus à Senatu populoq; Romano faustis acclamationibus sit Imperator salutatus ac condecoratus, & à Papa coronatus, id nequaquam translatio aut donatio imperij fuit, sed tantùm quædã solennis declaratio eius iuris, ac etiam iam reipsa & facto existentis possessionis imperij Occidẽtalis, quod ille iã amplius 20. annis multiplici iure tenuerat, sicut solẽt etiã hæreditarij reges in omnib. ꝓuincijs ac gẽtib. talib: publicis ceremonijs declarari & cohonestari.

Huic mori simile Carolino aut Leonino exemplũ describitur à Blondo in coronatione Othonis II, quod adijciam, vt liquidò appareat, quàm nullũ vel ius, vel beneficium, vel meritum Papæ ac Rom. in eo consisteret: Inquit igtur ille, Quoquo autẽ modo se habuerit prœliorũ huiusmodi & necis Nicephori veritas, constat nobis Ot-

thonem Secundum Theophaniã, Ioannis Constantinopolitani Imperatoris sororem in matrimoniũ accepisse. Quam Ioãnes tertiusdecimus pontifex simul cum ipso in Lateranẽsi patriarchio coronauit. Nam Otho pater filiũ Othonem re in Saracenos Græcosq; bene gesta, reuersum consortẽ imperij ASCIVIT, VOLVITquè in Imperatorẽ à Romano pop. ex PRISCA cõsuetudine acclamari: quem pontifex inunctũ Imperiali diademate insigniuit. Eaque in Othonis secundi coronationis celebritate, Ioannes pontifex Capuanam Ecclesiã ob Pandulfi principis merita, Metropolitanam fore constituit.

En audis eum ritum tantùm pro more PRISCO factum esse, ius autem Imperij ex patris voluntate venisse ac depẽdisse. Eodem planè modo & Carolus Magnus se coronari, sibique populum acclamari voluit, procurauitq; non accipiendi ab illis sui seruis iuris causa, sed tantùm publicæ declarationis pompę, aut solennis ceremonię gratia. Sic vt Vespasianus, Marcus Antonius, Seuerus & innumeri alij inchoatione regni suorum filiorum voluerunt eos talibus pompis & testificationibus à populo & exercitibus honorari.

Talem sanè plenitudinem potestatis habeo

beo ego quoq;,& tale beneficiũ cuiuis prę ſtare poſsim,vt eum, qui per integros 20 annos quampiã rem iuſtè poſſediſſet, ſicut Carolus Occidentale Imperium tenuerat, appellare poſſe dominum illius rei: ſed vix tamen propter id beneficium vellet meus ea in re vaſallus fieri,ſicut pontifex flagitat à Germanis Imperatoribus.

Hactenus veluti prolegomenon aut pręfationis loco,duas iſtas propoſitiones tractaui probauique. Quod videlicet Deus per gladium aut bello imperia regnaq; trãsferre ſoleat. Et porro Papa Imperium Occidentale non transtulerit aut largitus ſit Germanis. Nunc hanc rem clarius,recitatisque hiſtorijs tractabo, & monſtrabo, quomodo & quando imperium ad Germanos peruenerit.

*

QVANDO ET QVARAtione Imperium ad Germanos translatum sit. Cap. II.

TRanslatio igitur vera, vt dixi, & nunc repetens dico, omnium regnorum ac Imperiorum fit à Deo quidem, sed plerunq; tamen vi armorũ, sicut in ipso Daniele Deus pingit quatuor feras, quatuor Monarchias denotantes, vi ac pugnando dominium supra alia animalia obtinuisse.

Id etiam in Isaia Deus testatur, qui iam affirmat se Assyrijs omnia subijcere, paulo pòst Babylonijs, denique etiam Cyro Persæ, quem ait se manu apprehensum vt puerum ducturum in munitissima quæque loca, eique omnia aperturum tradituruḿque esse.

Idem etiam experientia ipsa omnibus temporibus confirmauit: sic Nẽbrotus, Ninus, Semiramis, & alij facti sunt robusti venatores coram Deo, seu Deo eis sapientiam, vires, & victoriam successusque mirabiles ad Monarchiam bello acquirendam & formandam largiente.

Sic postea Chaldæi Assyrios, Persę Chaldæos, Macedones & Græci Persas ac Medos duce Alexandro armis oppresserunt.

Sic

Sic & Romani Græcos ac Macedonicos reges, per Europam, Asiam, & Africam aut Ægyptum debellarunt. & porro Iulius & Augustus Romanam Rempublicam. Sic denique Germani oppressa Italia & Roma, captaque penè tota Europa, deuictis toties Imperatorum exercitibus, sibi iure belli Imperium occidentale acquisiuerunt.

Hæ inquam & aliæ innumeræ translationes regnorum & Imperiorum factæ sunt & fiunt, sine vlla iuridica aut politica translatione, aut voluntario tradentium contractu: multo magis sine Papæ aliorum'ue sacrificorum benedictione aut concessione. Quod notorium est, nec refutari aut reprehendi potest; quandoquidem sic Deo vnico, summoque mundi creatori, gubernatori ac domino visum est.

Si tamen quid inter arma valent leges, & isti voluntarij politicique aut iuridici contractus, etiam ipsi in hac Imperij ad Germanos translatione aut communicatione sæpius facti sunt. Nam Romani aut potius Constantinopolitani Imperatores, sæpius ius occidentalis Imperij Germanis tradiderunt, quod authenticis historijs, Christo iuuante, contra Papalium adulatorum mendacia probabimus.

Prima igitur tranſlatio facta eſt ſub Leone Beſsicano Conſtantinopolitano Imperatore, circa annum C C C C L X. in Othacarum aut Odoacrem à militibus Romanis, teſtè Alciato. Erat verò Othacarus genere quidem Germanus, aut Thuringus, ſed militando Romanis non tantùm ciuis Romanus factus, ſed etiam planè creuerat & potens factus fuerat. Viſitatũ verò erat tunc & multis retrò temporibus, inde fermè à Iulio, vt milites exercitusque Imperatores facerent.

Blondus ſcribit illum turbinem irruptionis Odoacris Romanos ciue & Auguſtuli æmulos excitaſſe. Vnde apparet etiam primarios aliquos Romanos in eius Imperium ſtatim initio conſenſiſſe, vel potius illum ad id capeſſendum excitaſſe, præterquam quòd milites Romani eum in Monarcham elegerant.

Eam porro creationem noui Imperatoris ipſemet Auguſtulus deponendo Imperium, confirmauit. Proculdubio etiam non defuerunt aliquæ graues cauſæ creandi noui Imperatoris & ſuſcipiendi arma contra Auguſtulum. Is igitur Auguſtulus cum videret, vt Martinus Polonus, aut Archiepiſcopus Coſſentius ſcribit, Odenaum, (vt ipſe eum nominat) interfecto

ſuo

ſuo patre Oreſte iam totam Italiam tenere, ſponte ei exuens purpuram de imperio ceſsit. Idem Sigebertus adfirmat, qui dicit Odoacrem abiectum ab Auguſtulo Imperium arripuiſſe. Verùm non eſt dubium, quin id ipſemet Regi Odoacri renunciauerit, vt ſibi modò vitam largiretur: nam Palmerius dicit, quòd ſe in priuatam vitam receperit; & Cuſpinianus, quòd poſtea priuatam vitam incolumis vixerit in Italia, non moleſtante eum Odoacre; quod certiſsimum ſignnm factę inter eos per ceſſionem imperij tranſactioniseſt.

Quare ſcribit Nauclerus de eo hiſce verbis: Eo in ardore cædes ciuium, Romanarumq́ue legionum primo, quanta nuſquam alibi in Italia ab annis plurimis, eſt facta.

Tunc nedum direpta vrbs Ticinum, ſed & cum agro igni ferroq́ue vaſtata. Oreſtem autem captum, Placentiam perductum, Odoacer ipſe, ſpectante exercitu, gladio confoſſum interfecit: quibus territi crudelitatibus, cæteri Italiæ populi certatatim deditionem fecere. Et Auguſtulus animo conſternatus, Romam quidem ex Rauenna profectus, ſed è veſtigio recedẽs, in Luculliano oppido Campaniæ purpuram diademaq́ue abijciens, ſeſe imperio,

quod annum vnum, mensesque duos te nuerat abdicauit, anno Salutis. C C C C LXXVII. consentit Pomponius Lętus. Deiecto itaque Augustulo, Odoacer vrbem Romam ingressus, totius Italiæ regnum adeptus est. Illum enim primo ingressu regem Romæ & Italiæ appellatum, Romani S V M M I S honoribus in Capitolium deduxerunt.

Idem dicit Blondus ad verbum, exceptis vltimis, quæ ille aliquanto splendidius recenset, Verba eius sunt hæc: Odoacer Herulus Oreste interfecto, pacatisque vbique in Italia rebus, ad vrbem Romam pergere constituit, quod cum exploratum haberent Romani, omnes propè populariter obuiam sunt effusi, illumque ipso in primo ingressu R E G E M R O M Æ & I T A L I Æ appellatum, S V M M I S honoribus in Capitolium deduxerunt. Quî poterant alij esse isti summi honores, à populo iam cupidè oblati Odoacri, nisi Imperium, de quo tunc prior Imperator victus, nouo victorique cedebat?

Hinc liquidò cernis hanc primam communicationẽ Imperij erga Germanos multis modis factam esse: primùm enim Odoacer creatus est Rex Romanorum aut Imperator ab exercitu: deinde suscitatus aut ex-

citatus

citatus eſt à primarijs Rom. cum & ipſe iã vnus eſſet ex primorib.ducib.ac principib. Romanis. Tertiò obtinuit id Imperiũ iure belli. Quartò ceſsione aut renunciatione Auguſtuli Cæſaris, & denique totius Italiæ & præſertim Romæ conſenſu, vbi eum ciues Romani ſumma alacritate exceptum in Capitolium deduxerunt, ſupremisque honoribus, vt modò hiſtoricos teſtantes audiuimus, honorarunt & exaltarunt, vt ſoliti ſunt ſuos legitimos Imperatores.

Quæ enim alia ſpecies ſenſus'ue eſſe poteſt talis actionis, cum nouo rege inuadente regnum prior illud deponit, quàm quod ei cedat ac renuntiet Imperium?

Quod diſertè ac expreſſè factum eſſe ab Auguſtulo inde quoque apparet, quia illi poſtea licuit incolumi viuere:fuerat alioqui Odoacer Auguſtulo notus, vtpote antea eius dux & aliquandiu armiger, teſte Alciato. Aliqui ſcribunt, eum aliquandiu fuiſſe Oreſtis patris Auguſtuli armigerum, vt ex veteri notitia veriſimile eſt, iam quoque eis talem pactionem ceſsionis & incolumitatis victi Auguſtuli interueniſſe. Hic Odoacer etiam in decreto diſt. 96. à Symacho Papa vocatur præcellẽtiſsimus Rex Romanorum. Præſeditque eius prę-

fectus prætorij in quadam Synodo. Vnde apparet eum fuisse legitimũ monarchã Romę & occidentalis Imperij.

Etsi autem inuidia quadam Italici histo-rici, qui tunc soli scripserunt, nolunt eum vocare Imperatorem, tamen quis dubitat Romanos illi tanto studio acclamantes, eum sic vocasse: nam ea sola erat tunc apud eos dignitas nota & vsitata. Præsertim cum tam prompti & alacres ei obuiam exiuerint, eumq; in Capitolium deductum teste Blondo, summis honoribus in illa tam splendida põpa ornauerint? Quis etiam dubitat eum nunc victorẽ uoluisse minori dignitate frui, quã habuit victus Augustulus?

Secunda translatio aut communicatio Imperij erga Germanos facta est à Zenone Imperatore Constantinopolitano, qui de cõsensu totius Senatus Imperialis adoptauit sibi Theodoricum Gothorum regem, qui sine controuersia Germanus fuit, eique Romam, Italiam & totum occidentale Imperium largitus est. Testatur id Sigebertus, qui circa C C C C L X X X V I I annum hæc verba scri bit: Zeno Imperatore Theodorico Ostrogothorum Regi regnum Italiæ donat, cuius Chronici breuitas, neminẽ offendere, aut rẽ tantam extenuare debet: sic enim

in iſtis annorum ſupputationibus neceſſe eſt res maximas breuiſsimè notare.

Porro Abbas Vſpergenſis in ſuo Chronico paulo prolixius hanc rem narrat. inquit enim: Dietmar verò tranſiens Saum amnem, Sarmathis bellum intenatuit, ſi quis ſibi obſtaret, illisq́ue quieſcentibus, nec ad tantam multitudinem præualentibus, tranſijt in Illyricum, & vbique proſpere agens, multasq́ue ciuitates ſibi ſubijciens, Theſſalonicam petijt, in qua Hilarianus patritius à principe directus cum exercitu morabatur. Qui cum videret Theſſalonicam vallo muniri, nec ſe poſſe conatibus eorum reſiſtere, miſſa legatione ad Dietmarum regem cum muneribus rogauit, vt ab excidio vrbis declinaret, initoq́ue fœdere, Romanus ductor cum Gothis loca, quæ incoluerant, iam ſponte tradidit eis, ibiq́ue Gothi cum rege ſuo, depoſitis armis, in pace quieuerunt. Nec diu poſtea Rex Dietmarus ægritudine occupatus, conuocatis ad ſe Gothis Theodoricũ filium ſuum Regni hæredem fecit, & ipſe mox rebus humanis exceſsit.

Eo tempore regnum Orientale Zeno Imperator habebat. Qui audiens Theodoricum gentis ſuæ regem eſſe, gratè ſuſcepit, eumq́ue ad ſe Conſtantinopolim

venire præcepit, digneque susceptum inter proceres Palatij collocauit, & post aliquod tempus in FILIVM sibi adoptans, consularibus fascibus, quæ dignitas post imperiale fastigium prima est, eum sublimauit: nec solum hoc, sed etiam equestrem statuam ac famam tanti viri ante Palatium suum ei constituit. At verò, dum eiuscemodi delicijs Theodoricus apud Constantinopolim fluitaret, gens illius, idest Ostrogothæ dum eis propter fidei sanctionem prædas agere more solito non liceret, nec tamen ab Imperatore oblata stipendia sibi sufficerent, dũ nimia coacti penuria compositum fœdus execrantur, inutilemque pactionem vituperant, mittuntque continuò ad Theodoricum, qui dicerent, quas inopiæ miserias ipsi sustinerent, dum ille Græcorum epulis superflueret, hortanturque, vt si suis, sibique consulere velit, citius redeat, quatenus ne cuncta gens pereat, & vbi nouas ad habitandum terras exquirant, prouideat. Ante complures autem annos Odoacer quidem exiens ab extremis finibus Pannoniæ, fortissima Herulorum multitudine fretus, insuper Turcilingorum, siue Scyrorum auxilijs Italiam venerat, nulloque resistente, totam

Italiã Romamq; occupauerat,& per 14. annos ibi regnauerat. Theodoricus verò cognitis suorũ querimonijs,ad Augustũ Zenonẽ accedit, penuriã questusq; suorũ exponit,absolutionẽ efflagitat,Italiã sibi dari expostulat,adijciens,quòd si supare posset Odoacrẽ,Italiamq; obtinere,ad eius gloriã redũdaret,à quo directus fuisset; sin bello superatus foret,nihilominus lucris eius accresceret,quãdoquidẽ quotidianorũ stipendiorũ exactionibus careret. Taliã Zeno audiens,licet ęgrè ferret eius discessũ,deliberato tamen cõsilio reip. vtilitati prospiciens, eius petitionib. annuit,Italiamq; illi tribuens,senatumq; ac populũ Rom. ei cõmittẽs magnis ditatum muneribus abire permisit.

En audis eum esse à Cæsare adoptatũ, & simul dono accepisse Romã& Italiã,cum reliquo occidentali imperio. Quid ergo ei defuit quo minus imperator esset? Nam negari non potest,id omnes historias Cæsarũ testari,quod fieri filium imperatoris vnà cum tanto imperio,sit fieri Imperatorem.

Idem igitur Vspergensis aliquanto pòst inquit,Anno dominicæ incarnationis 493. Vrbis aũt conditæ 1243 Anastasius imperium accepit,& 27 annis regnauit, 50 primo loco ab Augusto:Theodoricus verò cũ Gothis Rom. pręsedit imperio. Quid hoc tandẽ aliud est,quàm esse ac agere Imperatorẽ?

ctionẽ ei etiã iuramẽto confirmantiũ. Nec tantũ ciues Rom. ei subiecti fuere, sed etiã iste ipse nũc tres coronas pontifex gestans. Nam Symachũ Papã accusatũ corã se iudicauit, causamq; tandẽ dirimi curauit. Quin & omnes episcopos passim per Italiã sine vlla mẽtione aut interpellatione Papæ, pro suo arbitrio gubernauit & iudicauit, vt ex eius epistolis in opere Cassiodori variorũ, apparet manifestissimè.

Sed quæret hîc aliquis nodũ in scirpo, & dicet illos nõ planè Imperatores fuisse sed tantũ reges Rom. Respõdeo apparere ex Suetonio nomẽ regiũ olim habitũ esse magis durũ aut plus iuris habẽs in subditos, quàm Imperatoris, eoq; nõ voluerunt id ferre in Augusto & Iulio: quin etiã scribunt, eũ ideo interfectũ esse, quòd rex fieri velle visus est. Postea verò promiscuè vsurpatũ est nomẽ regis Rom. ac Imperatoris: vtrunq; enim in suo regno summã dignitatẽ denotat. Quare & Imperator se interdũ regẽ vocat. Sic distinct. 63. Leo VIII Othonẽ primũ promiscuè iã regẽ vocat, iã Imperatorẽ. Probat & Baldus in l. exẽplo col. fin. de probat: & in l. pen. C. de donat: inter vir. & vxor. Regẽ in suo regno idem esse quod imperatorem.

Quare cum Odoacer, Theodoricus aut sequentes Gothici aut Longobardici reges

uocati sunt reges Romanorum, idem planè id nomen titulusq; ualuit ac Imperatores Romani: Sed postquam Papa super Cæsares inualuit, id discrimen interdum adhibitum est, quòd Cæsar uocari debeat Rex Romanorum ante coronationem, postea uerò quàm coronam à Papa adeptus fuerit, Imperator, quod tamē ipsum discrimen nec hodie quidem seruatur. qui tamen papalis tyrannidis abusus nihil illi veteri mori derogat. Vide prolixius de hac re Guerinum Pisonem Soacium, in libello de magistratibus. Huc facit quòd etiam priorum monarchiarum summi gubernatores tantum se reges vocauerunt, siue fuerunt Chaldęi, siue Persæ, siue Macedones. Huc etiam rectè referri posset pictura Danielis, uel Dei potius, depingentis reges ultimæ monarchiæ, per pedes ac digitos partim luteos partim ferreos: fuerunt enim & erunt alij Romani reges potentiores, celebrioresque ac honoratiores tum opibus, seu potentia, tum etiam titulis ac dignitatibus: nihilo minus omnes fuerunt reges aut monarchæ Romanorum, seu ultimæ Monarchiæ ex æquo. Quare nihil nos hæc quoq; calumnia mouere debet, quasi reges Romanorum & Italię, qui inter Augustulum & Carolum M. intercesserūt, nō fuerint ueri Imperatores

Verùm Leopoldus de Babenberg prolixè indicat olim germanicos Imperatores tãtum reges se uocasse, idq; interdum nõ addita mentione Romanorum: Scientes nimirum in regis nomine summam potestatem & omnes dignitates contineri. Sic proculdubio senserunt & illi uetustiores Germanorum reges, siue Gothici siue Longobardici siue Francici, utpote apud quos inde ex omni ipsorum uetustate nihil gloriosius regio nomine fuit. Verba Leopoldi hæc sunt:

Apparet ex prædictis chronicis omnib. quòd postquã defecit succesio generis Caroli Magni in regno Germaniæ, Heinricus Rex electione Principum & natu maiorum Germaniæ, statim assumpsit nomen regis, & administrauit iura & bona dicti regni. Post hoc iterum deficiente succesione generis eiusdem Heinrici in regno Germanię, institutisq; certis principibus ad eligẽdum reges, Heinricus secundus fundator Ecclesiæ Bãbergensis, ex electione ipsorũ principũ similiter statim adsumpsit nomẽ Regis, & administrauit iura & bona dicti regni. Et sic deinceps ex prædictis chronicis apparet, quòd id ipsum fecerunt alij eorundẽ regũ successores, in reges à principibus cõcorditer electi & assumpti. Circa uerò as-

ſumptioné regij nominis,ſciendũ eſt, quòd reges noſtri poſt diuiſionem regni Francorum, ac ſubiugationem Italiæ, de quibus dictum eſt ſuprà cap.2.per multa tempora nõ ſe reges Romanorum,ſed ſimpliciter, (prout ex diuerſis priuilegijs per eos conceſsis colligitur) ut plurimum reges tantũ nominabant,interdum tamen ſe nominare reges Frãcorum & Lombardorum iuxta morem Caroli Magni conſueuerunt: vt inter alia priuilegia in Eccleſia Herbipolenſi habetur priuilegium dicti Heinrici:in quo idem Heinricus ante unctionem & coronationem imperialem, ſe regem Francorum & Lombardorum nominauit,ſeu intitulauit:cuius priuilegij forma data eſt ſub anno Domini 1004 regni ſui Frãcorum.3.illo enim anno, ut refert hiſtoria Francorum,fuit ab Archiepiſcopo Mediolenenſi &ab illius regionis primatibus, in ciuitate Papiæ in regno Lõbardorum in regale ſolium collocatus.Demum poſt multa tempora ijdem reges incęperũt nominare ſeu intitulare ſe Reges Rõ. ex cauſis quas dicã infra eodem capite. Et hæc nominis adſumptio ſeu intitulatio, & non alia hodie per eos obſeruari conſueuit. Memorabile uerò eſt quòd Onuphrius Panuinus ſcribit, Cæſares iſtas diſtinctiones nominum Regis, Cæſaris, Imperatoris

toris, & Agusti suo arbitrio usurpasse, non autem à pontificibus ullo iure coactos, uel iussos: cuius prolixũ locum postea adscribam, Quin etiam dicit ille, aliquot Imperares ante omnem pontificialem inaugurationem sibi plenum augustalis dignitatis titulum usurpasse. Verba eius hæc sunt:

Quum enim nunquam in hoc Imperio usuuenerit, ut non nisi reges ad Imperij fastigium prouelierentur, regesq́; & Imperatores ungi mos inualuisset, ideo iterũ Augustos ungi & coronari contingebat. Illud autem non ignorandũ, à quatuor primis Francis Imperatoribus minimè obseruatum fuisse, quod sequẽtes principes religiosè admodum coluere. Ipsi enim cum ex sola hæreditate, nullo electionis iure, sibi inuicem successissent, Augusti uel Imp. nomen non die suæ coronationis à Rom. pont. assumpsere, sed eo potissimum die quo à patre appellabatur Imperator: à quo etiam die eorũ imperij annos numerare solebant, nulla habita consecrationis pontificię ratione. Id autem satis ex eorum priuilegijs & diplomatibus liquet, in quibus tam ante quã post Romani pontificis coronationem seipsos Imperatores, Cæsares & Augustos appellant.

Tertia cummunicatio Imperij Germanis facta est paulo post præcedentẽ ab Ara

ſtaſio Imperatore Conſtãtinopolitano, qui de unanimi conſenſu totius ſenatus aut principum Imperij largitus eſt Auguſtale nomen ac dignitatẽ Clodoueo regi Francorum, qui primus ex illis regibus baptizatus eſt. Quare dignitas imperialis ſemel regibus Francorum donata, neceſſariò etiã ad poſteros per ordinem ſucceſsionis permanauit, atq; ita etiam ad Carolum Magnũ idem ius peruenit. Tunc enim adhuc ea dignitas hæreditaria fuit, non prorſus electitia ut poſtea.

Quòd autẽ Anaſtaſius Imperator Auguſti nomen ac dignitatem communicauerit Clodoueo & Francorum regibus, ex hiſce ſequentibus prorſus authenticis teſtimonijs liquidò patet. Vbi clarè tũ Auguſti tum & Imperatoris nomen legis illis à Conſtantinopolitano Cæſare communicatum eſſe.

Ex Gregorij Turonenſis hiſt. lib. 2. qui tempore Gregorij M. uixit.

Clodoueus verò filium ſuum Thedoricum per Albigenſem ac Rutenam ciuitatẽ ad Auernos dirigit. Qui abiẽs, urbes illas à finib. Gothorũ uſq; Burgundionũ terminũ patris ſui ditionib. ſubiugauit. Regnauit aũt Alaricus. 22. annos. Clodoueus uerò apud Burdegalenſem urbem hiemem agens, cũctos theſuaros Alarici à Tholoſa auferens Engo-

Engolismam uenit, cui Dominus tantam gratiá tribuit, ut in eius contéplatione muri ciuitatis sponte corruerint. Tunc exclusis Gothis, vrbem suo dominio subiugauit. Patratą post hæc victoria, Turonos ingressus est, multa sanctę Basilicę beati Martini munera offerens.

Igitur ab Anastasio Imperatore codicillos de consulatu accepit, & in Basilica Beati Martini tunica blactea indutus est, & chlamyde, imponens uertici DIADEMA. Tunc ascenso equo aurum & argentum in itinere illo, quod inter portam atrii & Ecclesiam cuitatis est, pręsentibus populis manu propria spargens, uoluntate benignissima erogauit, & ab ea die tanquam Consul & AVGVSTVS est uocitatus. Egressus autem à Turonis Parisios uenit, ibique Cathedram regni constituit. Ibi & Theodoricus ad eum uenit.

Ex Adonis Chronico, ætate sexta.

Hic Anastasius Codicillos Clodoueo regi pro consulatu misit, Ab ea die & Cõsul & AVGVSTVS est appellatus, sedemq; regni Parisijs constituit. Regnauit autem Frácis 30. annos. Fuerunt autem à transitu S. Martini usq; ad transitum Clodouei regis anni 112.

Quandoquidem isti duo historici testan

tur Clodoueum deinceps Augustum appel tum esse, facilè apparet hunc ei titulum dignitatemq; ab Imperatore Constantinopolitano fuisse concessam, licet id illi non expresse indicent. At quo episcopus Carnutensis, qui uetustius decretum composuit, & Sabellicus, disertè id testantur, ut postea audiemus.

Ex Hannonis Chronico Francorum lib. I.

Brumali aũt recedente rigore, uernaliq; succedẽte temperie, Clodoueus Tholosam petit, Inde thesauros Alarici auferẽs ad Engolismã properat. In cuius aduentu murus uerbis diuino nutu sponte ruens, adueniẽti regi paratum prębuit iter. Qui vniuersos Gothos, quos inibi repperit gladio interemit. Pari etiã modo per vicinas vrbes aduersarios interficiẽs, suosq; cõstituens, eas sibi parere cõpulit. Rebus ergo cunctis ex sententia compositis Turonos iter dirigit, vbi, dũ statiuarum gratia aliquantisper moratur, legationem suscepit Anastasij Constantinopolitani principis munera, epistolasq; ei mittẽtis. In quibus uidelicet literis hoc cõtinebatur. quòd complacuerit sibi & SENATORIBVS, eum esse amicũ Imperatorũ patriciumq; Romanorũ. His ille perlectis, consulari trabea insignitus ascenso equo in atrio; quod inter Basilicã sancti Martini & ciuita-

ciuitatem situm erat, largissima populo cōtulit munera. Ab illa die Cōsul simul & AVGVSTVS meruit nuncupari. Cum aūt equum, quem inter cætera donaria sancto miserat Martino redimere centum solidis datis decreuisset, nec ille ullo modo loco moueri posset, alios centum dari præcipiens, taliter, infit, sanctus Martinus bonus est in auxilio, sed carus noscitur fore in negotio. Rex itaq; equo recepto, p̄ceq; per circuitum facta Parisios ingreditur.

Ex Chronico Iuonis Episcopi.

Clodouinus cū fluuiū, cui Vienna nomē est, transire uellet, & uadū non inueniret, eo q̄d auctus pluuijs inundasset, cerua subito per eūdē transiens fluuiū ei uadū ostendit. Deinde Alarico occurrit decimo miliario ab urbe Pictauiensi. Qui ambo congressi inuicem pugnauerunt: sed tandem ibidem Alaricus Rex occiditur, & eius exercitus huc illucq; dispergitur. Qua peracta uictoria, in illo anno Clodiuinus Burdegalis hyemauit, sed recedente hyemali frigore, & succedente uernali temperie, Tholosam caput Regni Gothorum expetijt, & inde Thesauros Alarici regis auferens ad Engolismam ꝓperauit, in cuius aduentu murus urbis diuino nutu sponte corruit, aduenienti regi patens præbuit iter. Inde Turonicam

vſq; peruenit ad urbem. Verùm dum feſſum recrearet exercitum, ſuſcepit literas Anaſtaſij Imperatoris, quibus illum deſignabat Romanæ Reip. conſulem & Auguſtum. Quod gratanter ſuſcipiens, ſtatim conſulari trabea inſignitus, ab illa die conſul ſimul & AVGVSTVS meruit appellari. Inde Pariſios reuerſus, pro tãtis beneficijs à Deo ſibi collatis in honoribus regalem ibidem Eccleſiam ædificauit.

Ex Sabellici Enneadis VIII. lib. 2.

Clodoueus præſenti uictoria lætus, auctusque inſuper Anaſtaſij muneribus, AVGVSTI appellatione ornatus, ſedensq; equo inſigni, numum in publico ſparſit in argumentum lætitiæ. inde per fauſtas acclamationes Pariſios reuerſus, ibi regiam fixit ſedem.

Ex Chronico Sigeberti Monachi.

Clodoueus rex ab Anaſtaſio Imperatore codicillos de cõſulatu & CORONAM AVREAM cum gemmis & TVNICAM blacteam accepit, & ex ea die Conſul & AVGVSTVS eſt appellatus.

Ex ſupplemeto Chronicorum Iacobi Philippi Bergomenſis.

Clodoueus quintus, ut fertur, Francorum Rex, ex hoc anno Childerico eius patre morte ſublato, in regnum ſucceſsit, & re

gnauit

gnauit annis 30 . vir vtiq; potens & armis strenuus: qui Theodoricum solum ex concubina habens filium, Chrotildem Chilperici Burgundiorum regis filiam, forma elegantissimá & Christianiss. duxit uxorē, cuius sororē patruus eius Gundebandus Burgundiæ rex exilio damnauerat: & utrumq; eius parentem, necnon & duos fratres, ac etiá Godesillū eius patruum gladio obtruncauerat. Hæc itaq; Chrotildis regina facta, mox uirum suum Clodoueum regem Diui Remigij Remensis Episcopi interuentu, ad catholicam fidem conuertit, Clodoueo ipsi baptismum suscipienti & dicenti: mitis depone colla, Sicamber, adora quod incendisti, incendeq; quod adorasti. Percepta igi Baptismi gratia confestim Francorum regnum immensum auctum est. Et propterea Anastasius Imperator cū famá atq; virtutes intellexisset, repentè CORONAM AVREAM gemmis ornatam cum tunica & baltheo eidē ex Constantinopoli in Galliá transmisit, à quo die & consul & IMPERATOR designatus, trabea etiam consulari indui meruit. Ac deinceps Romanum Imperium quod dudū apud Constantinopolim in amplū fuerat, indies minui cœpit & Francorum regnum augeri. Clodoueus itaq; Parisiorum urbem regni sui caput etiá

constituens inde uniuersos expulit hæreticos & catholicos introduxit.
Ex hisce testimonijs tot fide dignissimorū historicorum liquidò patet, Clodoueo Francorum Regi Imperialem dignitatem, Constantinopolitano Imperatore de consensu totius Senatus, vltro, legitimeq; concessam donatam'ue esse. Quid enim aliud sibi vult nomen Augusti, quod semper etiam ipso Cæsaris ac Imperatoris nomine augustius & gloriosius est habitum? Tamet si etiam Imperatoris nomen tributum ei esse ab illo Cæsare modò auditum est. Eodē facit transmissa corona & tunica blactea, propria imperalis maiestatis ornamenta ac insignia, & deniq; aurum agentumq; in populum sparsum, sicut Theodorico sacrum. tegmen datum fuisse legimus. Non sine causa igitur scribit Gregorius Turonensis, qui proximè ad ea tempora uixit, nempe tempore Gregorij Magni, Clodoueum in illa tātæ dignitatis assumptione, tunicā blacteam induisse, & didema in uertice gestasse, nimirum ipsa imperialia ornamenta, quę cum alijs supracitatis, tum ipse, cum & Sigebertus scribit, ei ab Anastasio imperatore per legatos esse transmissa. Supplementum Chronicorum dicit, ei imperiale nomen dignitatemq; donatam fuisse, ut modò audiuimus.
Huc

Huc facit, quod Nauclerus scribit, Theodoricum Regem Romanorum agretulisse illam coniunctionem Cõstantinopolitanorum Imperatorum cum Francis, & illam tantæ dignitatis communicationem. Quare etiam bellum inter Clodoueum & Theodoricum de Occidentalis imperij prouincijs exortum est.

Hinc igitur liquet Augustalem dignitatẽ initio nõ per Papas, sed per ipsos Cõstantinopolitanos Imperatores Imperijq́; totius Senatum translatum esse ad Francorum reges. Quare id decus eodem iure etiam ad Carolum Magnum, unà cũ reliquis Francicæ Monarchiæ insignibus peruenit, non ex donatione Papæ, qui eam potestatem nullo iure habuit, eoq́; nec transferre aut donare cuiquam potuit, ut supra abundè est indicatum ac demonstratum.

Hactenus de primis illis donationibus aut communicationibus Imperij Germanis eorumque regibus factis dictum sit, nimiũ quidem breuiter pro tantę rei magnitudine sed id studio ago, ut aliquẽ aliũ ueritatis patriæq́; amantẽ, & gloriæ Dei studiosum hac mea tenuitate tractationis excicitem, qui omnia uberius, eruditiuque exponat: ac in lucem communemque utilitatem proferat.

DE TRANSLATIONE

Imperij Occidentalis in Carolum Magnum, Cap. III.

NVnc porro ad Carolũ Magnum progrediamur, ut ostendamus, quónam iure ipse Romanorũ Rex aut imperator fuerit, quãdoquidẽ in eo potissimũ hoc nomẽ dignitasq; tum potẽtia, tum etiam titulis in occidentali Imperio refloruit instaurataq; est. Primùm igitur eam dignitatẽ quasi quodam hæreditario iure habuit ob prædictam donationem nominis ac dignitatis Augustalis super occidentale Imperium, per Constantinopolitanos Imperatores regibus Francorum factam, sicut & alias dignitates ac priuilegia eius regni omnia.

Secundò Imperialem diginitatem etiam inde habuit, quòd sicut Theodoricus primus Gothicus rex fuit adoptatus à Zenone Imperatore, accepitq; dono Romam & Italiam unà cum suis successoribus, ac insuper ea dignitate Odoacrem exuit: ita porro Longobardi comprobãte & iuuante Constantinopolitano imperãtore, eadem gloria iure

iure,& poſſeſsione exuerunt Gothos,ac deniq; reges Longobardicos Francici reges, præſertim uerò Carolus M. uicit,& dignitate poſſeſsioneq; Occidentalis Imperij Super Roma ac Italia exuit,ipſeq; eo iure belli potitus eſt. Quare etiã mox Romani poſt uictos Lõgobardos illi iurarũt. Quod factũ eſt amplius xx annis ante illã actionem ſub Leone (ut iſti aiunt) Papa factam,per quã Papiſtæ dicunt eſſe translatum Imperium ad Francos. Memorabilis prorſus narratio ad confirmationem huius iuris pertinens refertur ab Hermanno comite Nouę aquilę de Friderico Barbaroſſa, quam hîc adſcribã. Francica natio enim eſt illa inter omnes Germaniæ gentes clariſsima, meritoq; omnis immortalitate celebranda,quæ Germaniã Germaniæ reſtituit, quum illa prius tot inteſtinis cladibus dilaniata,vix ſibijpſi cõſtaret:hinc Gothis, wandalis, Hunis,Lõgobardis:illinc Herulis, Turcilingis, Saxonibus,Anglis,Nortmannis, Quadis,Burgundionibus,Alemannis in ſuam parentem ſæuientibus. Hæc Galliam tripartitam toties à noſtris maioribus oppugnatam, tandem omni ex parte perdomuit, ipſiusq; non modicam partem in hanc nationem tranſplãtauit, ut ab alpibus, unde Rhenus effunditur, vſq; ad occiduũ oceanum Germanici

ſenatus Carolo M. conceſsiſſe Occidentale Imperium,& haud dubiè etiam nomen ipſum cum re,ſicut omnes alij hiſtorici ſcribunt,ſed tamē non vult clarè dicere, an antea Papa populusq; eum coronauerint,aut uerò Imperatrix illi eam dignitatem & potentiam conceſſerit.

Verũ quòd Amea Imperatrix id fecerit, quòd Papa uel populus, inde liquidiſsimè apparet, quia teſte Matth. Palmerio Florentino, & Martino Polono, antea eſt Irene Imperatoria dignitate ſpoliata per Nicephorum, quàm Papa Leo, populusq; eam actionem cum Carolo Romæ habuit. Sunt verò iſti duo vel diligentiſsimi ſupputatores temporum. Nam pleriq; omnes illam Romanam coronationem vel in 801. vel in 802. ponunt. Blondus, Sigebertus & Antoninus collocant in annũ Domini 801. Martinus Polonus in annum 802. ſicut & ſpeculum Vincentij.

Porro Irene Imperatrix, teſte Palmerio, Onuphrio,& Hermanno Cõtracto,ſecũdo imperare incœpit,depoſito Cõſtantino, anno 797: cui cum tribuantur à pleriſq; & etiam à Sabellico ipſo,ſoli quatuor anni,neceſſariò eius Imperium finitum eſt anno 800, vno anno ante Leonis coronationē. Martinus Archiepiſcopus Irenes Imperio

tantum tres annos adſcribit. Quare neceſſe eſt ante illam Romanorum actionem Irenen Imperialẽ dignitatẽ Carolo conceſsiſſe.

Teſtatur quoq; Platina, Nicephorum Imperatorem, oppreſſorem, aut ſucceſſorem Irenes, mox initio fœdus Irenes de Imperij diuiſione, cum Carolo renouaſſe: Vt hæc quoque fuerit confirmatio Imperij occidẽtalis, à Conſtantinopolitanis Carolo facta. Porrò Nicephorum hunc Imperatorem collocat Martinus Polonus pœnitentiarius Papæ & Archiepiſcopus Conſentinus in annum Domini 7 9 9. omnino eum clariſsimè proponit illi Romanæ coronationi Caroli, ſicut & Sebaſtianus Francus; quin & Iacobus Philippus Bergomenſis. Prǫponit quoque Martinus Michaelem Imperatorem eidem coronationi, qui itidem illud idem fœdus renouauit cum Carolo. Deniq; & Chronicon D. D. Achillis Gaſſari initium principatus Nicephori ponit in annum 7 9 8: facta uerò eſt illa renouatio conceſsi Imperij à Nicephoro mox initio ſui Imperij. Quare ex hiſce licet colligere, ut minimum, tres donationes, aut conceſsiones Imperij per Conſtantinopolitanos Imperatores factas ante illam Romanam actionem, nempe Irenes, Nicephori, & Michaelis, vel certè illas duas priores. Ex

d

tabantque iniqui, eam ipſam & filiũ Cæſarem, non modò rerum arbitrio, ſed & luminibus priuaſſe. Quam FALSAM inuidiã, ut illa à ſe amoliretur, iam inde ab INITIO oratores, & in urbem & in Franciã miſerat: ſed inuiſo ſemel nomine Græco, fidẽ imperatrix non faciebat Conſtãtinum filium ſe abſente inſciaque à principibus Græcorũ odio libidinis atrocitatiſque comprehenſum pœnas dediſſe. Romani proceres animis aliter adficiebãtur. Solium Imperij velut à neminè inſeſſum, quaſi numine offerẽte, regi Franco dandum, ſummis in religione meritis id debitum: eum uictoriarũ gradibus ad id culmen conſcendiſſe, ut ſummus regum, ſummum rerum humanarum titulum obtineat: diem quoque, locum, annum, celebritatemque mortalium id poſtulare.

Mihi uerò ueriſimile eſt mox initio illius inſtaurati Regni Irenes eſſe factam talem tranſactionem de Imperio inter eam & Carolum, quo conſtabiliret adhuc principio dubium & inuidioſum regnum, quod & Aemilius affirmat.

Ne uero quis minus credat Platinę de ipſius Imperij diuiſione tranſactũ eſſe inter Irenen & Carolum, ſciat eam etiam coniugium ſuum Carolo obtuliſſe, quod multi

testantur, vt nemo dubitare posit, eam nihil non Carolo detulisse; cui etiam se ipsam in coniungium obtulerit. Adserit & Sabellicus tum ab Irene, tũ & à Nicephoro trãslationem, communicationem, aut concessionem Imperij factam esse erga Carolum Magnum. Testatur idem & Eutropij volumen, vt est plenius editum.

Credibile tamen profectò valde est, Irenem cum filio Constantino, multo antea illam dignitatem & possessionem Imperij cũ Carolo communicasse. Nam longè antea circiter viginti annis ante coronationem Leoninam Carolus totam Italiam occupauit, Romaníque ei iurarunt, & Papa Adrianus de consensu totius Synodi, Carolo ius eligendi confirmandique Papam & Episcopos, & regendi Romam pro arbitrio solemniter permisit, aut potius recognouit cõfessusue est: quod ius antea Constantinopolitani Cæsares vsurparant, nunc autem iure gladij in Carolum transierat, & denique ille iam tunc pro suo arbitrio Italiam & Romam administrauit

Quinetiam tanta fuit amicitia inter Constãtinopolitanos Imperatores & Carolũ, vt Cõstãtinus filiá Caroli ábiuerit, sibiq; despõderi curauerit. Quod Amonius Francicorũ annalium scriptor & multi alij testantur factum

ctum eſſe anno 786. Auentius idem adfirmans etiam nomen ſponſæ indicat,uocatã eam fuiſſe Rudrudam. Expendat quæſo totum hoc negotium quiſuis intelligens. Quomodo potuit Conſtantinus Imperator ambire aut impetrare filiam Caroli non facta pace? Quomodo autem potuit inter eos fieri pax,non conceſſo Carolo occidentali imperio, quod iam fortiter occupauerat,& firmiter retinebat? Neceſſariò igitur in tali nuptiarum filiæ Caroli pactione diuiſio imperij facta eſt.

Quo uerò candide lector amplius huius pleniſsimæ tranſactionis,& Imperij diuiſionis indicium habeas,ſcito eam legationem ad Carolum eſſe miſſam Romam, cum iam ille omnia occupaſſet ac teneret: Capuę tamen eum conuenit, ac cum illo tranſegit, ut merito Conſtantinopolitani timere potuerint,ne ſi illa omnia ei nõ conceſsiſſent, ac non ſummis blandicijs ab eo pacem ambiuiſſent, ille longius progrederetur. Iam enim armis etiam ducem Beneuetanum, qui eſt in ultimo fine Italiæ, domuerat.

Proinde nemo dubitare debet, illam tranſactionem inter Conſtantinopolitanos & Carolum factam eſſe, quamprimùm ille capto Deſiderio Longobardorum rege,Italiam Romamq; occupauit. Tunc enim me-

tu eius potentiæ, amittẽdiq; reliqua, Constantinopolitani Carolo libenter Occidẽtale Imperium, quod iam potẽter tenebat, concesserunt, ut modò illi Orientale retinerẽt. Quis dubitat Græculos adulatores partim metu, partim etiam studio eblandiendi filiam nihil non titulorum ac dignitatum Carolo in occidẽtale imperium, quod iam alioqui Potenter tenebat, largitos esse? Constat ergo ex hisce Carolum ante illam Romanã actionem, Imperij ius dignitatemque ac Regionem multipliciter possedisse.

Nunc aliquid & de illa ipsa Romana coronatione dicamus.

Age igitur obtineant sanè pontifices, aliquam acclamationem Carolo Magno, ut Cæsari factam esse Romanæ. Quid tandem inde necessariò sequetur? Magis nimirum ea vel adulationis, vel etiam pompæ cuiusdam ac solẽnitatis gratia facta fuit, quã tradendi, vel transferendi iuris, dignitatis, aut etiam potentiæ Imperij Occidentalis: quãdoquidem illa Carolus iam antea armis acquisierat, & Constantinopolitani insuper Imperatores ei concesserãt, nullumque illis temporib. in ea re ius, Romani põtifices habebant.

In hac tamen ipsa (ut ita dicam) pompali coronatione, aut Caroli sublimatiõe, multi id

ti id opus populo, multi Carolo ipsi, quod mihi maximè verisimile est, tribunut, ut ex sequentibus testimonijs patebit.

Æneas Syluius cui in hoc genere non parum credi potest, totum illud opus Senatui populoq; Romano adscribit. Inquit enim,

Demum uerò negligentibus Romam Græcis, eamque nunc Barbarorum, nunc aliorum direptioni relinquentib. Populus. ILLE Rom. QVI suo SANGVINE tantum PARAVERAT Imperium, qui suis VVLNERIBVS Monarchiam fundauerat Orbis, uenientem in auxilium eius Carolum Magnum Francorum Regem, natione Germanum, qui urbem sacraque loca ab omni hostili incursione defendit, primò Patritium, postea Augustum, concurrente summi pontificis consensu salutauit Cæsarem. En audimus Æneam Siluium, qui postea fuit Pius papa secundus, totum ius Imperij & simul actionem illius ceremoniæ propriæ, populo Romano non pontifici tribuere.

Eodem modo Sigebertus idem factum propriè populo non Papæ tribuit. Verba eius sunt hæc: Romani, qui ab imperatore Constantinopolitano iamdiu animo desciuerant: nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier excæcato Imperatore Con

ſtantino filio ſuo eis imperabat, uno O M-NIVM cõſenſu Carolo Regi imperatorias laudes acclamant, eumque P E R manũ Leonis Papæ coronant. Cæſarem & Auguſtum A P P E L L A N T, Pipinũ verò filiũ eius, regem Italiæ ordinatum collaudant.

Nõ poteſt ſanè negari, nunc & poſtea longo tempore Senatum ac populum Romanum multum adhuc libertatis habuiſſe, nec fuiſſe ita ſeruiliter Pontifici ſubiectum, ut nunc eſt, & proximis aliquot ſæculis fuit.

Sic & Blondus adfirmat ſcito aut decreto & precibus Senatus aut populi Romani illam Caroli coronationem factam eſſe. Sic & Leopoldus ſcribit. Sic de translatione Imperij tractatur in eodem ſpeculo & libro capite ultimo, vbi narratur quòd ROMANI cum omni CONSENSV Carolo Magno Imperatorias laudes acclamarũt, eũq; per manus Leonis Papæ coronatum Cæſarem & Auguſtum appellarunt.

En audis affirmari ab iſtis Papæ addictiſſimis, aut domeſticis teſtibus, non Papam, ſed populum Romanum illud quicquid fuit, præclari facinoris peregiſſe, & quòd Papa in eo fecerit, feciſſe ut illorum miniſtrũ aut delegatum.

Verùm illud multo uerius ac planè uerißimum eſt, quòd Carolus Magnus, cum iam

r... præter uetus illud ius ex successorum Regum Francorum Italiã Romamq; armis occupasset, & insuper consensum Cstãtino politanorũ Imperatorum haberet, uoluerit insuper declarendæ & cõstabiliẽdæ illius iã acquisitę & possessę Imperialis dignitatis & possessionis tot ꝓuinciarum ad occidẽtale Imperiũ pertinentiũ gratia publicè illã ceremoniã coronationis & acclamationis ad hiberi, ut nõ tantũ sibi iã decrepito, sed etiã liberis tanto firmus ea dignitas ꝑmaneret, sicut supra ex Blõdo de Othonis secũdi coronatione audiuimꝰ. qđ & Alciatus cõꝓbat inquiẽs: Igitur Carolus, Maximi hac expeditiõe apud oẽs natiões nomine acquisito nulli nõ formidabilis, cum arma ꝑ Germaniã nomẽ, Pãnoniasq; circũtulisset, & nõ Italiã tantũ, sed & Illyrici aliquas regiones Græco eripuisset, & iustum aliquem titulũ adepto imperio prætendere posset, Cæsarẽ se & Rom. Imperatorẽ à põtificę populoq; Romano desginari PROCVRAVIT.

Hic sanè vir doctissimus & cùm aliarum omnium liberalium scientiarum, tum & historiarum peritissimus, adhæc, pontifici addictissimus, ut pote cuius stipendio Bononiæ docuit, prę multis alijs ꝓximè ad rei ueritatẽ accedit. Quod uidelicet Carolus Magnus, cum iam totum Occidentale Imperi-

um iure belli teneret, & posset iustũ titulũ suã illius possessionis acquisiti occidẽtalis imperij prætẽdere, nihilominus amplioris cuiusdã speciei ac testimonij gratiã se publica solenniq; pompa ac ceremonia Cæsarẽ declarari uoluerint, vt semper veteres Romanorum Imperatores factitarunt, nõ consequendi, sed ostentandi sui iuris gratia: utq; solent passim etiamnũ legitimi quoq; Reges, qui ex hæreditate vel ex electione ius regni habẽt, nihilominus etiã publicam solẽnẽq; ceremoniã coronatiõis adhibere.

Non ergo Pontifex aut populus Imperiũ in Carolum transtulit, sed iam possessum occupatumq; à se Carolus hac ratione uoluit per Romanos sibi iam dudum iuramento obstrictos & planè subditos declarari, illustrari, & quasi condecorari.

Confirmat hãc ueriorem sententiã etiam Gotfridus Viterbiensis vetustus scriptor, vt qui amplius ante 400. annos, nempe Friderici Barbarossę tempore uixerit. Is igitur dicit Carolum decreuisse fieri Monarchã, eoq; occupatis regionibus Occidẽtalis Imperij curasse se Romæ coronari, nec tamen in eo posuisse sui Imperij fundamẽtũ, sed à Constãtinopolitanis Imperatoribus id ius & assensum extorsisse, ac in ipsorum potissimum adsensu, consensu & confirmatione,

ius

ius suę Imperialis dignitatis collocasse. Versus eius sunt hi,

Carolus, vt fungi statuit diademate mundi,
Pontificis summi manibus decreuit inungi.
Cæsareis aquilis nomen onusq́; tulit,
Clerus ei cecinit, populus sua iura subegit.
Nec tamen Imperij tunc plenum culmen adegit,
Nam Leo Græcorum rex, diadema regit.
Cumq́; foret magni terroris fama per orbem,
Quod caput Italiæ iam Carolus obtinet Vrbem,
Gliscit, vt & Romam posit habere nouam.
Non satis est regem Romæ captasse fauorem,
Nec putat imperium pleno retinere decore.
Vnde super Danaos protinus arma mouet,
Migrat in Ausoniam, pleno petit ista rigore,
Græcus ut Imperium sibi deferat absq; tenore.
Ille necem metuenes congrua pacta mouet,

ET PAVLO POST:

Item De pactione facta inter Carolum & Græcorum Imperatorem, versibus explicamus.

Pacta parant reges ut frater uterq; uocetur,
Diuidit imperium, sed honor communis habetur,
Græca tenet Græcus, fit sibi Roma uetus.
Vnde duæ summæ gestantur in orbe coronæ,
Si fuit vna prius, binæ sunt ordine Romæ,
Vnus erat Cæsar, nunc duo iura colunt.
Vnus erat dominus mūdi, præcelsus honore

Nunc duo sunt, fratrum dupla ratione decores.
Fratris adhuc nomen fingere sæpe solent.
Græcia transegit, placuit transactio regi,
Consensu Græci, Carolus sibi culmen adegit,
Legibus obtinuit, quod quasi præda fuit.
More suo fratres tali sunt fœdere facti,
Vt simul imperium teneant, ac pace coacti,
Roma vetus nostris, sed noua cessit eis.
Consilio, gladio, spondetur vtrunq; iuuari,
Nomine fraterno censetur vterq; uocari,
Vult sibi iure pari culmen vterq; dari.

En audis Carolũ suæ Imperialis dignitatis fundamẽtum, aut ius, non in Romanorum adulationibus, aut Papæ ceremoniolis collocasse, sed in suis uictorijs & Constantinopolitanorũ Imperatorũ concessionib.

Hic simul repetamus Blondi uerba de istius Romani Papæ more, quo solent corona & acclamationibus Imperatorem cohonestare, vt appareat liquidò non tradi ibi à Papa aut populo Romano aliquod ius Imperatori, quod ipsi iam nullũ habent, & Cæsar aliunde antè illã scenicam aut theatralẽ actionẽ accipit. Inquit igitur Blondus. Quẽ Ioãnes tertiusdecimus pontifex simul cum in Lateranensi Patriarchio coronauit. Nam Otho pater filium Othonem, re in Saracenos, Græcosq; benè gesta reuersum consortẽ Imperij A S C I V I T, V O L V I T in

Impera-

Imperatorem à Romano pōtifice ex Prſica conſuetudine acclamari, quem Pōtifex inū ctū Imperiali diademate inſigniuit. Obſerua, dicit, ex PRISCA cōſuetudine citás illam pompalē acclamationē plebeculæ, qua non tradebatur, ſed tantùm utcunq; declarabatur dignitas nouo Imperatori.

Sed quid obfuerit etiam diuinitus factam aut certè in viſione Cōnſtantinopolitanis Imperatoribus mādatam communicationē Imperij cum Carolo faciendam ex iſtorum proprijs adytis & quaſi ſacris ꝓferre, quę lōge antea acciderit, nēpe circa annū 770. adhuc uiuente Cōſtantino Leonis patre: Hoc enim modo ſcribit Vincentius antiquiſsimus iſtorum ſcriptor in ſuo Speculo.

Legitur, quòd tempore, quo Carolo datū eſt Romanū Imperium, Patriarcha Ieroſolimitanus, de ciuitate expulſus à Paganis, uenit Cōſtantinopolim ad Imperatorē Cōſtātinū & filium eius Leonē, & cum eo Iohānes Neapolis Sacerdos, & Dauid Ieroſolymitanus Archipresbyter: quos ille ad Carolum miſit, cū Iohanne patriarcha, & epiſtola manu ipſius Cōſtātini ſcripta; & cū duob. pręfatis fuerunt alij duo legati Hebræi Iſaac & Samuel, in cuius epiſtolæ vltima parte ſcriptū erat: Quadā nocte in ectaſi factus. Vidi (ſcilicęt Imperator Cōſtantinopolitanus) ante

lectũ meũ quendá iuuenẽ ſtantẽ, qui me blá dè nomine uocans, pauxillulũ tetigit & ait: Conſtantine, Rogaſti diuinum auxiliũ, ad hanc rẽ: Ecce accipe Carolum Magnùm re gem Galliæ, Eccleſię in Domino propugna torẽ, & oſtendit mihi quendam militem armatũ & ocreatum & loricatũ, ſcutũ rubeũ habentẽ, enſe præcinctũ, cuius manubrium erat purpureũ, haſta altiſsima, cuius cuſpis ſæpè flammas emittebat, & in manu tenebat caſsidem aureá, & ipſe ſenex prolixa barba, vultu decorus, ſtatura procerus, cuius occu li fulgebãt tanq̃ ſtellę, & canis caput albeſce bat. Age iá Auguſte, qui iuſsionib. Dei rèfugit obedire, minimè poterit culpá euadere, Emanuel geman Iheſu. Hactenus ille.

En hîc audis circa 770 Domini annũ, Cõſtantinum Imperatorem Leonis mariti Irenes patrem eſſe iuſſum adiungere ſibi Carolum in collegam, & iam tum ei eſſe imperiũ traditum, ac Conſtantinopolitanum Imperatorẽ de ea re ad Carolũ ſcripſiſſe, & legationẽ ampliſsimá miſiſſe. Neq; enim ocioſè illi eá uiſionẽ narrauit, & tá ſplendidá legationem miſit; ſed proculdubio eũ ſibi collegam iuxta ſuá uiſionẽ in Imperio aſſumpſit. Multæ quoq; hiſtoriæ & præſertim legẽdæ papiſtarũ ſcribunt quę mẽtiri neſciunt, Carolum Magnum, ad hanc euocationem

Conſtan-

Constantini de mandato Dei factam, in Asiam profectum esse, ibiq; Constantinopolitanum Imperiũ defendisse, ac etiã Ierosolymã ac Syriã recepisse. Quod cũ factũ esse dicant post occupatum occidentale imperiũ, q̃s dubitat ibi omnimodam trãsactionẽ de diuisione Imperij inter illos Cæsares esse factam? Quare amplus 30. annis ante coronationem Leonis Papæ fuit imperiũ communicatum Carolo Magno, & Francis aut Germanis, idq; deo ipso Cõstãtinopolitanis Imperatorib. p̃ reuelationẽ seueriter mãdãte.

Cum autem talibus reuelationib. adeò Papistæ fidem habeant, ut etiam religionem suam super eas fundent, ac extruant: quomodo tandem huic, præsertim à tam authẽtico scriptore indicatę, refragabuntur, & in super tot suis sacrosantis legẽdis? Hoc sanè illi modo grande sacrilegium admiserint.

Hactenus ostensum est, quòd Imperium Romanum per alias uias multiplici ratione ac iure ad Carolum & Francos peruenerit, & non per Papas Romanos, etiam si forte illa solẽnis ceremonia acclamationis coronationis, & veluti solẽnis publicationis testimonijq; cuiusdã gratia adhibita ibi est, sicut semp solet in noui regis inauguratione publica quædam ceremonia solenniter adhiberi apud omnes gentes.

DE TRANSLATIONE *Imperij à Francis ad Germanos reliquos*, *Cap.* III.

INdicatum eſt quomodo Imperij poſſeſſio & dignitas peruenerit à Gręcis ad Carolum Francum aut Germanum. Ab eo porrò hæreditate peruenit ad eius liberos ac poſteros, apud quos permanſit annis 120. Erat enim tum adhuc imperium hæreditarium, poteratq; Cæſar ſibi quem uellet adoptore, & in eum hanc dignitatem vel viuens vel moriens transferre, quod ius conditioque fuit in Imperio Romano inde à Iulio, qui primus hanc Monarchiam, oppreſſa armis republica patriaq; ſua condidit.

Porrò quomodo Francis ad reliquos Germanos peruenerit, nunc indicandum eſt: Nam hîc quoq; Papę adulatores út vbique, mendacijs omnia conſpurcant ac corrumpunt. Dicunt enim illi, quod deficiente uirtute ſtirpis Carolinę, Cardinales ſcripſerint ad Othonem primũ, eumq; creauerint Imperatorẽ. Quod tamẽ nullis certis documẽtis ꝓbare poſſunt. Verã autẽ hiſtoria illius tranſlationis extat prolixè apud Nauclerũ & Cuſpinianũ. Ex qua narratiõe liquido patet nõ poteſtatē aut uolũtate Papę factã eſſe, ſed uoluntaria renunciatione Cæſarũ Francicorum

ticorum & libera electione principum ac populi Franconici &Germanici id insuper contra voluntatem paparum q̃ui suis Italicis satrapis imperialem dignitatem vindicare conati sunt, sed frustra. Nam quod attinet ad illam scriptionem cardinalium ad Othonẽ, ea fuit nihil aliud, quàm accusatio Ioãnis XII, hominis impurissimi, ac petitio vt deposito eo alium meliorem episcopum aut Papam in eius locum sufficeret, quod etiam Otho primus strenuè effectum dedit: nam tunc & olim per omnem vetustatem erat iuris & autoritatis Cæsareę impuros Papas castigare. Historia habetur prolixè apud Luitprandum Ticinensem historicum fide dignissimum.

Veritas huius sentẽtię, & falsitas Papisticę etiam ex eo elucescit, quia, si verè de creatione noui Imperatoris actum fuisset, eaque (vt isti volunt) iuris ac potestatis pontificię fuisset, non cardinales aliquot, sed ipsemet Papa de ea scripsisset, eamque peregisset.

Translationem ergo Imperij de Caroli posteritate in Saxonicos Principes Nauclerus & Cuspinianus prolixè describunt, quorum textus plenè recensebo, vt tanto maior fides narrationi huic habeatur. Nauclerus igitur in generatione XXXI scribit: Anno igitur Domini .913 cœ-

pit diuidi Imperium. Quidam enim in Germania imperabant. Magna tum erat inter Italos, Germanos & Francos de possessione Imperij cõcertatio, vnde grauissima bella orta sunt. Dicebant enim Franci, defecisse genus Carolorũ in Germania, durare autem in Gallia seu occidentali Francia. Hac ex re Ludouicus filius Bosonis regis Prouinciȩ, natus ex filia Imperatoris Ludouici secundi, à quibusdam tum Italiæ tum Galliæ primarijs ciuitatibus, ad spem Imperij allectus est. Germani verò Ludouico tertio defuncto, Othonis Saxonis consilio, Conradum ducem Francorum elegerunt. hunc ferunt aliqui Lotharingiæ principem fuisse, nepotem Ludouici tertij ex Cõrado fratre Ludouici. hunc Conradum consensu omnium Francorum vngunt in regẽ, qui licet coronam Imperialẽ seu beneditionem non receperit, nihilominus legitimus Rom. Rex fuit. Nam Imperium fuit translatum à Græcis, non in Italos neq; in Gallos, id est occidentales Francos, sed in Germanos, scilicet, in persona Caroli Magni, vt in tex. qui hoc probat, in cap. Venerabilem de electio. & similis tex. in Cle, Romani de iure iur. Vnde clarê probatur, quod etiam linea Caroli deficiente in Germania, non minus Imperium manere debet apud Germanos,

sicut

ſicut & finaliter obtinuit tam de iure quàm de conſuetudine. Et licet Romani aut Itali receperint vel Ludouicum filium Boſonis alios've, ſicuti Berengarios, Hugonem Arelatenſem comitem, ſeu filium illius Lotharium, ſiue Rodolphum Burgundiæ regem, omnes iſti tyranni, & inuaſores imperij, non Imperatores ſunt cenſendi, cum Germani principes non omiſerint vel ad momentum ſuo iure Imperatores eligere. Sed de iure electus in regẽ ſeu Imperatorẽ Romanum à principibus regni, poteſt ſtaſtim ex ipſa electione licitè nomen regis Rom. aſſumere, & iura ac bona regni & Imperij in Italia & in alijs prouincijs eiuſdem Imperij adminiſtrare. ſed non eſt mirum, ſi Romani etiam pontifices illis temporibus circa annum Domini nōgenteſimum & aliquãto pòſt, quoscunque occurrentes admiſerint, cum, vt ſcribit Platina, resque fuerit, quòd pontifices illius tẽporis à veſtigijs B. Petri diſceſſerant, & quòd Reſpublica ignauos & deſides principes habebat, quorum maximè intererat nauiculam Petri fluctib. exagitari, ne ſi gubernator verus reſipiſceret, malos nautas è repub. eijceret. Horror enim eſt audire, quammulta perperam per XXVIII fermè pontifices ſint admiſſa. Quod autem de Ludouico Boſonis

filio dicitur, ille per virilem quoque Caroli Magni ſexum non deſcendit. Credo inteſtinas Galliarum ſeditiones in cauſa fuiſſe, ne Carolus ſimplex, quem è Carolorum proſapia eſſe conſtat, filius'ue Ludouicus Imperium occuparent: quæ tantæ fuere, vt ne dicantur quidem principes Germaniæ, quo minus ex ſe Imperatores eligerent, impediuiſſe: & rectè quidẽ, cum ſcirent imperium non in Gallos tranſlatum, ſed in Germanos. Nec obſtat præmiſsis, quòd Ludouicus tertius & poſt eum Cõradus primus, ac deinde Heinricus primus, non obtinuerint à Papa Imperialem benedictionẽ, quia vel alijs arduis impediti fuerunt ſuis tẽporibus, aut propter factionem Italorum Romam accedere tutum non erat, per hoc tamen illi iura Imperij non amiſerant. Hæc ego qui Germanus ſum zelo patrię ductus probabilia eſſe iudicaui. Nollem tamen vero, ſi quoquo modo intelligerem, contradicere. Sed hæc ſupra copioſius. Quare ad inſtitutum meum redeo. Anno Domini 913. rege Ludouico defuncto ſine liberis, omnis populus Francorum atque Saxonũ quærebat Othoni duci Saxoniæ diadema imponere regni, ſed ipſe quaſi iá annis grauior recuſabat onus Imperij, eius tamen conſilio Conradus dux Francorum, filius illius

illius Cunradi quem Albertus occidit, vngitur in regem, penes Othonẽ tamen summum semper & vbique viguit Imperium. Anno itaq; dominicæ natiuitatis 913, Cunradus filius Conradi, ex Francorum genere oriundus, vir strenuus omnium electione regnum accepit, & septem annis regnauit, sub quo potentissimi erant principes, Arnoldus dux in Boioaria, Burcardus in Suenia dux, Eberhardus Comes in Francia, Gisilbertus dux in Lotharingia, Heinricus Saxonum dux, potentia omnibus maior. Cum illo Burcardo Sueuiæ ducatus iterum resuscitatus est anno eius 2, qui fuit Sergij Papæ vltimus, cõtra ipsum potentiores regni rebellionem sunt meditati, quos ille tam sapientiæ quàm fortitudinis robore superauit, suamque ad fidelitatem perduxit. Solus Arnoldus nimio terrore motus, cum vxore ac liberis ad Hungaros confugit, ibique vsque ad Conradi obitum permansit. Anno eodem Hungari ab Alemanis & Boioarijs iuxta fluuium Ænum occiduntur, singulis tamen ferè annis redeunt, & multa damna hominibus inferunt. Sergio III interim defuncto succesit in papatu Anastasius III, patria Romanus, moritur 2 anno pontificatus sui, qui quidem modestè in dignitate vixit, nec in se quicquam

habuit, quo reprehēdi posset. Lādus patria Rom. hunc sequtus, 6. pontificatus sui mēse, die 21 moritur: nec de illo aliqua notatu digna scripta repiuntur. Otho Saxonię princeps circiter annū domini 914. moritur, filiū relinquens Heinricū, magnanimū principē. Hunc Cūradus Imperator tantū odit ob suspectas sibi Saxonū vires quātū est ipse ab Othone illius patre semper humanissimè cultus. Et cū videretur iniquū viribus rē agere, insidijs locū dedit. Quare Hattonē Archiepiscopū Moguntinū contra Heinricū solicitat. Hatto autem malis artib. imbutus fabricari fecit Heinrico torquē aureā, quam collo ipsius inijceret. fabrefacta est torques quæ collo alicuius iniecta nulla arte potuit aperiri aut dissolui, cogebatq; hominē fame mori. sed pręsentiebat hoc aliquis, qui dolū Heinrico detexit & cum inuitaretur ab Hattone conuiuandi gratia, imo latrocinandi caussa, Dux Heinricus præmonitus, Vade ait nūtio, dic Hottoni quod durius collū nō habet Heinricus, quàm comes Albertus: illum enim vt dictum est, regi Ludouico prodiderat. Et statim omnium quæ iuris hostium erant, in Saxonia vel Thuringia occupauit. Burcardum quoq; & Bardonem quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit, vt terra cederent, eorumq; possessiones

nes ipse miltibus suis diuideret. Hatto autẽ videns suis calliditatibus finem esse, nimia tristitia ac morbo, non post multos dies obijt, ferturque in Siciliæ montem Æthnam delatus à diabolis, vbi merita artibus suis pœna torqueretur. Rex autem misit fratrẽ suum Eberhardum ad vastandam Saxoniam, qui apporpinquans vrbi Heresberg, multa superbè locutus est: sed ecce Saxones ei occurunt, & vsque ad internetionem sternunt. Audiens autem rex malè pugnatum â fratre, congregata omni virtute Francorum, perrexit contra Heinricum ac tentauit oppidum Gruna expugnare, prẹmisit tamen legatos ad Heinricum, sponte se uellet dare. Qui dum venirent in conspectum Heinrici, Saxo quidam Dietmarus vir bellicosus adest: Ne, inquit Domine, cures, aduenient tibi quas voluisti copiæ triginta legiones, nil vereare. Hæc dolo locutus est, nullas enim copias tum adducere valebat. Legati tamen regis, infecta re redeunt, narrata referunt; mox mane ante lucem relictis castris, Franci vnus quisque ad sua redeunt. Vicit hoc modo Dietmarus verbo, quos vincere non valuisset Heinricus ferro. Anno Domini 917. Ioannes decimus patria Romanus, Papa electus est, præsul Rauennas, antè Episcopatu deiectus est

populi tumultu, ſedit annos tredecim, menſes duos. Huius tertio anno, Rex Cunradus ægrotare cœpit, ſentiensque ſibi finem adeſſe, vocatis omnibus regni principibus, excepto Heinrico, ait illis: Vocationis meæ tempus adeſt, proinde pacem & concordiam vos ſectari etiam atque etiam rogo, nulla vos ambitio inflammet, Heinricum Saxoniæ Thurigiæq; ducem prudentiſsimum regem eligite. Is enim ſapientia pollet, & iuſtitia abundat. Quibus omnibus aſſentientibus, fratrē ſuum alloquitur Eberhardum. Sentio ait, frater, mihi mortem adeſſe, idcirco tui cōſiderationem habeto, & quod ad te maximè reſpicit, omni Francorum regno conſulito. Sunt nobis exercitus congregandi, atque ducendę copiæ, ſunt vrbes & arma cum regalibus inſignibus, & omne quod decus regium depoſcit, præter fortunam & mores. Fortuna frater cum nobiliſsimis moribus Heinrico fauet, rerum publicarum ſumma penes Saxones eſt. Sumptis igitur his inſignibus, lancea ſcilicet & armillis aureis cum clamyde & veterum regum gladio ac diademate, ito ad Heinricum, pacemque facito cum eo. Ipſe enim verè Rex erit & Imperator populorum multorum. His dictis, lacrymans ſe conſentire reſpondit. Poſt hæc

hæc rex moritur septimo quam imperare cœperat anno, vir fortis & potẽs, domi, militięq; optimus, largitate serenus, & omni virtute clarus, sepeliturque in ciuitate sua Vuamburg cum mœrore ac lacrymis omniũ Francorũ. Vt ergo imperauit, Eberrardus Heinricum adijt, sese cum omnibus thesauris tradens, pacem fecit, amicitiamque promeruit, quam feliciter vsq; in finem seruauit. Deinde congregatis principibus & natu maioribus Francorum in loco qui dicitur Frideslare, rex Heinricus designatus est. Anno igitur Domini 920. Heinricus filius Othonis Saxoniæ ducis, à cunctis principibus, & natu maioribus Francorum, Alemanorum, Saxonum & Bauarorum, cœpit libera potestate regnare in Germania. regnauit annis 18. Iste Heinricus, vt quidam volunt, fuit filius sororis vltimi regis de genere Carolorum in Germania. Ab euentu cognominatus est Heinricus Auceps, eo quòd in aucupio primũ â principib. sit inuentus. Quod autem à Romanis põtificibus Imperator sit habitus, textũ in 63. dist. indicat, vbi legitur constitutio primi Heinrici & primi Othonis cum Romanis pontificibus, vt nullus missorum nostrorũ cuiuscunque impeditionis argumentum electione Rom. pontificis componere au-

deat, omnino prohibemus. Quæ constitutio nimirum eam præcessit, quæ Leonis VIII est, vt in C. In Synodo, 63. dist. Fuit Heinricus è Saxonum genere, nobili ortus stemmate, & peruetusta natione. Saxonum enim præcipua est in Germania nobilitas: de his non nihil libet hîc comentari. Ex hisce liquidò cernitur imperium esse translatum à regibus Francorum ad Saxonas, tum voluntaria cessione illorum regũ, tum etiam libera electione principum, idque adeo sine omni iussu aut beneficio Paparum, vt sit etiam factũ inuitis illis, qui id suis Italicis dynastis vindicare & asserere sunt conati: vnde maximè cognoscitur, ius vel imperij dãdi vel cõfirmãdi nõ fuisse aut esse debere penes Papas, seu ex illis quoquomodo pendere. Nunc etiam Cuspinianum Maximiliani primi consiliarium & historicum, de eadem re differentem in eandem prorsus sententiam audiamus.

CONRADVS CÆSAR.

LVDOVICO Arnolphi filio Augusto è medio sine sobole sublato, Imperij nomen à stirpe Magni Caroli ad nouam virtutem, nobilitatemque delatum est. Nam vniuersus Francorum ac Saxonum

xonum

xonum populus, Germanorumque procerum concursus, ad Othonem Saxonię ducẽ fiebat, eò quod rebus gestis, summa prudentia & sanguine esset nobilissimus, eumque Augustum salutabant. Sed cum is senectа inualidus esset, excusatione ætatis vsus; Si Germanicis reb. inquit, vsui dextra mea ars'ue rerum gerendarum esse posset, nullum corporis laborem, nullam animi solicitudinem, pro communi salute recusarem. sed cum Imperium à familia Caroli translatum, magnarum rerum inclinationes ac ingentes motus facturum sit, duce opus est qui sciat, possitque ac audeat inter tela volitare, exercitumque non consilio magis regere quàm exemplo mouere. Talis est itaque vobis vir quærendus, non qui ex Imperio decus sibi expetat, sed imperio afferat. Id quod vnicum possum, consilio vos, remque Germanicam iuuabo. Conradus Franconiæ dux, & opibus & robore animi ac corporis, fideque ac existimatione & maiestate, est sustinendæ moli ponderique huius tantæ rei, quam mihi iudicio vestro vltro detulistis, longè aptissimus. Hunc vobis regem constituite; dignus est etenim, qui imperij habenas tractet. Sic autore Othone Conradus Augustus designatus, Rex inungitur:

Summa tamen rerum gerendarum administratio penes Othonem fuit. Ex quo filius mundo necessarius natus est Heinricus, qui Conrado in Imperio Succesſit, vt paulo inferius ſcribemus: fuit autē is Conradus, rex filius Cōradi comitis Frāconię, Hasſię, Vuedrouiæ, Frislariæ, & (quod Blondus ſcribit) Ducis Auſtriæ, quod nusquam lego: quum Marchia orientalis Marchiones tum, nō duces haberet. Quem Adalbertus ob inanem dę nobilitate cōtētionē occidit vt latiſsimè Rhegino, nos obiter ſupius attigimus. Vir ſtrenuus & rē bellica exercitatus, animoq́; corporeq́; validus adeo, vt pleriſq; timorē multis inijceret obedientiam. Nam potentiſsimi principes huius ætate florebant in Germania; Arnolphus Malus in Bauaria, Burcardus Strenuus in Sueuia, Eberhardus comes potentiſsimus in orientali Francia, frater regis. Cum Francis enim occidentalibus Conradus Aug. ſocietatem ac amicitiam iunxit. Item Giſilbertus dux in Lotharingia. Omnium autem præſtantiſsimus Heinricus Saxonum & Thuringorum dux, qui omnes Conrado regi erant rebelles. ſed quos conſilio partim ad amicitiam reduxit, partim robore compeſcuit: tantasq́; illis ſtrages intulit, vt ex maxima occiſorū militum multitudine plerique in antiquorum

rum Philoſophorum venirent ſententiam, animas poſt mortem iterum in alia corpora redire. Et cum Conrado Regi potentia ducis Saxonum Heinrici ſuſpecta nimium eſſet, conſilium Hattonis Epiſcopi Moguntini, (cuius dolo Adalbertus comes prius ceciderat) implorat. Hatto auream torquẽ fabricari fecit, quem collo conuiuantis ſub honoris prætextu inijceret caperetq;. Sed dolus eſt proditus, & Hatto mox diem ſuum obijt. Heinricus beneficio motus, in gratiam cum rege redijt; ſolus inter illos principes Arnolphus cum vxore & liberis rebellis, ad Hungaros fugit, & ad obitum vſq; regis Conradi illic delituit. Regis etiam Hungarorum filiam vxorẽ ducit. Nam tum Hungari vehementiſsimè graſſabantur, Franciam & Thuringiam euaſtantes. Et cum Alemanniam ingrederentur, à Bauaris & Alemannis iuxta Cerum fluuium cęſi ſunt: ſed rurſus Alemaniam ingreſsi, igni & gladio cuncta euaſtarunt, totam Thuringiam & Saxoniam populati, ad Fuldenſe vſque monaſterium progreſsi ſunt. Dehinc Alſatiã, penetrantes, ad Lotharingiam vſque excurſiones fecerunt, Baſileam vrbem crudeliter incendio defœdarunt. Conradus rex, niſi immatura præuentus fuiſſet morte, gentem hanc extirpaſſet. Sed aduerſa

ſemper valetudine correptus, cum ſibi im-minere extremum vitæ terminum ſentiret, ac ſupremam diem adeſſe cerneret; nec poſ ſet amplius bella obire, conuocatis Germanis proceribus manſuetiſsimus princeps, maximis precibus, intermixtis multis lachrymis, ne amore regnandi, ambitioneque diſsidium Imperij fieret, ac diſcordia, author fuit vt Heinricus Othonis Saxonum ducis filius (cuius beneficio ipſe ad Imperium peruenerat) Rex atque Auguſtus crearetur, longa vſus oratione, qua cæteris principibus perſuaſit, (aberat enim hic ſolus) ac ipſorum mentes in ſuam ſententiam traduxit. Simul etiam regalia ornamenta coronam multis vnionibus & precioſis gemmis nobilem, ſceptrum aureum in medium ferri iuſsit, ijsque manu tactis, Hæredem, (inquit) regiæ dignitatis & Imperij vicarium ſtatuo Heinricum Saxoniæ ducem. Cui vt pareatis, non conſulo modò, ſed oro obſecroque. Proceres lachrymis & dulci perſuaſione moti, eius votis annuunt, acceptisque regijs indumentis abeunt, ac regem relinquunt. Qui paucis pòſt diebus vitam cum morte commutauit, cum annos regnaſſet ſeptem. In Fudelenſi monaſterio honorificentiſsime ſepultus. Sed

Abba

Abbas Vſpergenſis in ciuitate ſua Vilinburg, cum mœrore ac lachrymis Francorũ ſepultum tradit, anno noſtrę ſalutis noningenteſsimo decimo nono. Habuiſſe fertur vxorem Placentiam, filiam Ludouici ſenioris, regis Germaniæ. Sed nullam hinc tulit ſobolem. Hæc ex Othone, ex Luitprando, ex Annalibus Abbatis Vſpergenſis, ex Annalibus illius qui Rheginonem cõtinuauit, ex Sigeberto excerpſimus: Nos more noſtro huius quoque Cæſaris vitam tetraſticho claudemus:

Conradus procerum conſenſu lectus, Othonis
Conſilioq; ducis, Regia ſceptera capit.
Officium leto moriturus reddit amici
Qui patris accepit munere tale decus.

HEINRICVS AVCEPS

MOrtuo Conrado rege, Eberhardus Regis defuncti frater, vt iuſſus erat à fratre, acceptis aureis armillis cum clamyde, lancea, & veterum regum gladio ac diademate, ad Heinricũ Saxoniæ ducẽ feſtinat, quẽ in venatione & aucupio fortè reperit, vnde & cognomẽtũ ſibi datũ eſt. Eiq; fratris voluntatẽ ac procerum cõſenſum detegit, regemque ſalutat, pacem-

queac amicitiam cum eo init firmam, qua in perpetuum dehinc vsi sunt. Paulo post congregati principes & primores, cum omni Francorum exercitu, Fritislarij Rex designatur, & augustus coram omni populo, magna omnium acclamatione appellatur. Et cum vnctio ei offerretur à summo Pontifice, satis (inquit) est me diuina annuente, vestraque pietate, Regem dici, tanto honore nos indignos arbitramur: sit penes eos vnctio, qui meliores esse cupiunt. hac sumus appellatione contenti. his dictis, manibus in cœlum eleuatis, Deo se commendat. Vnde ingens â populo excitatus est clamor, Deus te regem custodiat, Deus te iuuet, tibique assistat. Fuit autem hic Heinricus filius Othonis Saxoniæ ducis, quem (vt supra scripsimus) ante Conradum proceres regem, post defunctum Ludouicum Arnolphi Cæsaris filium, nominabant: quod frater esset Luitgardę vxoris Ludouici, quæ prole caruit: & quod vir strenuus, qui Dalmatas & Hũgaros fudit, fugauitq;, sed ob senectutẽ regium decus assumere recusauit, Hic Otho hunc filiũ Heinricũ regẽ genuit & Brunonẽ ducẽ. Et vt aliquâtisper eius familiá attingá, genuit hic Otho filiá Babam Heinrici comitis coniugẽ, quę vrbi Babẽ-
bergæ

bergæ nomen dedit,matrē Alberti comitis &fratrum. Ac alteram quādā filiam Richardim,Leopoldi Sueuiæ ducis,& primi Marchionis Auſtriæ coniugem, è quibus natus eſt Heinricus cognomento Rebellis; à quo progenies diui Leopoldi tandem proceſsit,ſed ad Heinricū reuertamur.Cum regnum Germaniæ ſuſcepiſſet, ſumma prudentia illud & fortiter adminiſtrauit.Diſciplimam militarem,quę iam in latrocinia abierat,correxit,ac denuo reuocauit:latrones expulit, inteſtinas diſcordias in Francia inter Rutpertum & Carolum ſedauit. Rediјt tum ab Hungaris Arnoldus Malus cū vxore ac liberis, à Bauaris benignè ſuſceptus, admonitusque ut ſe quoque regem diceret, nec Heinrico pareret regi. Quod intelligens Heinricus, cum iam Ratisbonæ colligeret exercitum Arnoldus, magnis copiјs vt vrbem obſideat,feſtinat. Sed hic non paſſus propius vrbem accedere,imparem ſe agnoſcens, parat inire cum rege prælium.ſtabant vtrinq; milites accincti ad pugnam, viri fortes & bellicoſi,& maxima ſanguinis Chriſtiani effuſio inſtabat.Heinricus Rex,ſapientiſsimus princeps, & religioſus, irreparabile damnum animo voluens, cupit ſolus Arnoldum alloqui. Et ille (licet duellum ſibi putaret indici) haud re-

nuit. Conuenientibus vtrisq;, Rex inquit Heinricus, Deo omnium opt. ac maximo, (cuius nutu mundus cõtremiſcit, à quo omnia in hoc orbe inferiore gubernãtur) ſic ordinãte, VNIVERSVS SAXONVM, Thuringorum, Francorum ac Alemannorum POPVLVS ME REGEM, Cõrado rege anteceſſore noſtro ſic ſaudente, ordinauit & elegit. Cui ordinationi temere reſiſtis, & Dei voluntati parere reucuſas. In præcipitium mittis tuam plebem, cuius eſſe defenſor debes & tutor: quę ignara q̃d agat, ruit quodam impetu, vt tibi obſequatur. Quin potius in alium hanc ſeruas gentem vſum, vnde eſt fructus aliquis te ſecuturus. Ego vt loquar, quæ ſentio, ſi Deus te regẽ voluiſſet, obediẽtiã tibi prõptus oſtẽderẽ, nec in me q̃d diſpliceret, agnoſceres. His dictis, animũ Arnoldi, alioq̃ malũ, inflexit. Pontifices tamen omnes Bauarię, ut petijt, ſuæ ditioni ſubmiſit, ut in defuncti locum liceret ſibi, quẽ uellet, ſufficere. Hactenus Cuſpianus Cęſ. Maximiliani primi cõſiliarius & hiſtoricus.

Hinc manifeſtiſſimũ eſt, falsò põtifices gloriari & iactare ſuo beneficio ac mãdato imperiũ à Francis ad reliquos Germanos aut Saxonas tranſlatum eſſe. Quare iniuſtiſsimè ac prorſus per nefas ſibi poſtea Imperij

rij iura priuilegiaq; rapuerũt, quæ nũc, agnita veritate, omnib. modis eis extorquenda essent, vt nepharijs tyrannis potiusq; humani generis hostibus.

Hanc eandẽ rationem modumue transIati à Frácis ad Saxonas Imperij, etiá Onuphrius Panuinus probat testimonijs uetustiorũ scriptorũ, quorũ dicta hîc ordine subijciá.

Vitichindus monach9, homo Germanus, qui lib. I. de gestis Othonis primi Imperatoris, sub quo vixit, quum de Chunradi primi electione, qui regio genere Caroli Magni Imp. in Hludiuico IIII. Arnulphi filio extincto, rex Germaniæ in eius locũ fact9 est, loquitur, ita ait: Regi aũt Ludouico mortuo nõ erat filius, omnisq; popul9 Frácorũ atq; Saxonũ quęrebat Othoni diadema imponere regni: Ipse verò quasi iá grauior, recusabat Imperij onus: eius tamẽ cõsultu Chunrad9 quõdá dux Frãcorũ ungitur in regẽ: penes Othonem tamen summum semper & ubiq; vigebat Imperium, &c.

Luitprandus quoq; Ticẽsis lib. II rerũ suo tẽpore per Europã gestarũ, capite VII. Hac autẽ (inquit) tẽpestate Ludouic9 rex moritur, Chũradus ergo Francorũ ex genere oriundus, vir strenuus, bellorumque exercitio doctus, rex cũctis à populis ordinatur. Sub quo potentissimi principes, Arnoldus

in Baioaria, Burcardus in Sueuia, Euerhardus comes potentissimus in Francia, Gisilbertus dux in Lotaringia erant: quos inter Henricus Saxonum & Thuringorum dux præpotens clarebat, &c.

Ottho Episcopus Frisingensis lib. 7. cap. 16. Historiarum suarum: Anno (inquit) ab incarnatione Domini DCCCC XIII. Chunradus, Chunradi quem Albertus occiderat filius, cōsilio præfati ducis Othonis, consensu omnium Orientalis Franciæ rex creatur. Hunc quædam Ludouici fratris filium fuisse dicunt, & ob hoc nouissimum eum Carolum ponunt, &c.

Abbas verò Vrspergensis sic ait: Regi autē Ludouico quum non esset filius, post mortem eius omnis populus Francorum atque Saxonum, quærebat Othoni diadema imponere regni: sed ipse quasi iam grauior recusabat Imperij onus: eius tamen consultu Chunradus quondam dux Francorum, filius illius Chunradi quem Adelbertus occidit, ungitur in regem, &c. vt Vitichindus.

De electione autem Henrici primi ad regnum Germaniæ, Liutprandus libro secundo capite septimo, loquens ait: Septimo regni Chunradi anno, uocationis suæ ad Dominum tempus cognouit. Quumque memoratos principes se adi-

re

ſe feciſſet, ſulummodo Henrico abſente ita cōuenit: Ex corruptione ad incorruptionē, ex mortalitate ad immortalitatem uocationis meæ tempus agnoſco, & vt cernitis præſto eſt. Proinde pacem atq; cōcordiam vos ſectari, etiam atq; etiam rogo. Me hominē exuente, nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præſidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum & Thuringorum ducem prudentiſsimum, regem eligite, Dominum conſtituite. Is enim eſt & ſapientia pollens & iuſtę ſeueritatis cēſura abundās. His itaq; prolatis, propriam coronam, non auro, quo cuiuſcunq; ordinis penè principes pollent, uerùm gemmis precioſiſsimis non ſolùm ornatam, ſed grauatam, ſceptrum, & cuncta quæ regalia ſunt indumenta in medium venire præcepit, & prout valuit huiuſmodi verba effundit: Hæredem, regiæque dignitatis vicarium, regalibus meis ornamentis Henricum conſtituo: cui vt obediatis, nō ſolùm conſulo, ſed etiam oro. Quam iuſsionem mox ſequitur interitus, & interitum eſt obediētia proſequuta. Ipſo nāq; mortē obeunte, memorati principes coronā cunctaq; regalia indumenta Henrico duci contulerunt, atq; vt rex Chunradus dixerat, cuncta per ordinem narrauerunt. Qui regiæ dignitatis culmen prius humili-

ter declinauit, ac paulo pòst non ambitiosè suscepit. &c.

Vitichindus quoq; libro de gestis Imp. Othonis Magni, Rex (inquit) Chunradus profectus in Baioariam, dimicauit cum Arnulpho, & ibi (vt quidam trandunt) vulneratus, reuertitur in patriam suam. Quumq; se morbo sensisset laborare, pariter cum defectione primę fortunæ vocat fratrē, qui eū visitandi gratia adierat. Quem ita alloquitur: Sentio, inquit, frater, diutius istam vitā me tenere non posse, Deo qui ordinauit ita imperante, grauiq; morbo id cogente. Quapropter consideratione tui habeto, & quod ad te maximè respicit, Francorum toti regno consulito, attendendo fratris tui consilio. Sunt nobis frater copiæ exercitus congregandi atq; ducendi. Sunt vrbes & arma cum regalibus insignijs, & omne, quod decus regium deposuit, præter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Henrico cedit: rerum publicarum secus Saxones summa est. Sumptis igitur his insignijs, lancea sacra, armillis aureis, cum clamyde, & ueterum gladio regum, ac diademate, ito ad Henricū, facito pacem cum eo, vt eum fœderatū possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est, vt cadat populus Francorum tecum corā

eo?

eo? Ipse enim verè rex erit, & Imperator multorũ populorũ. His dictis frater lachrymans, se consentire respondit. Post hæc autem ipse rex moritur, vir fortis & potens, domi militiæq; optimus, largitate serenus, & omnium uirtutum insignijs clarus, sepeliturq; in ciuitate sua Quidelingaburg, cum mœrore ac lachrimis omnium Francorum. Vt ergo rex imperauit, Euerhardus adijt Henricum, seq; cum omnibus thesauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter familiaterq; vsq; ad finem obtinuit. Deniq; cogregatis principibus & natu maioribus exercitus Francorum, in loco qui dicitur Fridisleri, designauit eũ regẽ corã omni populo Francorũ atq; Saxonũ. Cumq; ei offerretur unctio cum diademate, à summo Moguntinę sedis pontifice, qui eo tempore Heriger9 erat, non spreuit, nec tamen suscepit: Satis (inquiens) mihi est, vt præ maioribus meis rex dicar & designer, diuina annuente gratia, ac vestra pietate: penes meliores verò nobis unctio, & diadema sit, tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit itaq; sermo iste coram vninersa multitudine: & dextris in cœlum leuatis, nomen regis cum clamore valido salutãtes frequentabant. Hoc autem ordine rex fact9 fuit Heinricus dux Saxonum. &c.

Rhegino autem monachus & Abbas Prumiensis, vel is qui eum suppleuit antiquus scriptor chronici illius vniuersalis, lib. 2: Anno (inquit) Dominicæ incarnationis D C C C C X X, Henricus dux, consensu Francorum, Alemannorum, Bauarorum, Thuringorum & Saxonum rex eligitur, qui initium sui regni disciplina seruandę pacis inchoauit, &c.

Eadem referunt Abbas Vrspergensis & Sigebertus monachus Gẽblacẽsis in Chronicis, quæ vsq; ad tempora sua perduxit. Vixit autẽ ante annos quadringentos & quinquaginta. Ait uerò: Chunradus rex moriẽs, coram principibus regni regem designat Henricum filium Othonis Saxonum ducis, &c.

En audis plurimos fide dignissimosq; historicos vno ore tastari, Imperium à Francorum regibus ad reliquos Germanos nõ per Papas aut etiam de consilio aut consensu Paparum, quin potius contra eorum uoluntatem, qui id suis Italis asserere conabãtur, quos Italicos pseudoimperatorculos VIII, Onuphrius nominat, sed volũtaria electione ac cessione Gallicorum regum & libera & electione principum translatum esse.

De

DE ELECTORIBVS *Imperij Romani, Cap. V.*

REſtat vt dicatur de Electoribus, & iure electionis noui imperatoris decedente priore. nam hîc quoq; vt vbiq; alibi, Pontificiorum paraſytarum mẽdacia graſſantur. Dicunt enim, quòd imperante Othone III, Gregorius Quintus Germanus, malè à Romanis tractatus, ſuaq; ſede pulſus decretum tulerit, quòd ſeptem Germani principes loco Romani populi ſenatusq; Imperatores in perpetuam poſteritatem eligere deberent. Quod eorum figmentum mox euidenter Deo dante, redarguemus.

Illud autem prius obſeruemus, quòd ſicut omnes aliæ monarchiæ, plerunq; ſuos quoſdam potentes principes habuerunt, qui tum conſilio, tum & ope viribusq; ſuo Monarchæ in conſeruando, adminſtrando & propagando regno præſtò fuere, ita etiã Romanum Imperium initio formatum eſt, vt licet Iulius ac Auguſtus oppreſſa repub. regnum arripuerint, nihilominus aliquam ſpeciem priſtini ſenatus ſeu principũ populi ac libertatis retinuerint, qui etiam in rebus agendis, & in ipſo nouo principe conſtituendo, ſemper nõ parũ iuris habuerunt.

petuum remaneret, nec non etiam verum sanctuarium Dei, id est regnum Ecclesiæ iure hæreditario possideret, confidérans, quod ipse de Græcorum, Romanorū & Germanorum germine directa linea processisset, & quod ipse pater suus Pipinus primò, & ipse Carolus secundò per Francorum, id est, Germanorum auxilium, Romanam vrbem & Ecclesiam dei à Lombardorum infestatione liberasset.

Supposititium planè videtur esse illud uerbum de Mandato Papæ: Nam tunc Papæ fuerunt subditi iurati principum Romanorum, atq; adeo Caroli ipsius, non aūt eorum Domini, qui eis aliquid mandare possent aut auderent.

Porrò Nauclerus Gener: 34. ordinationem Electorum tribuit Othoni. III. hisce verbis: Hoc in tempore Electores imperij primū instituti leguntur, de quo aliqui scribunt, quòd Otho. III. cum hæredes ex se descēdētes mares nō haberet, constituit ex consilio principum Germaniæ, vt Imperatore mortuo, in oppido Francofurt perpetuò fieret electio, electoresq; constituit tres Archiepiscopos, Moguntinensem Germaniæ, Coloniensem Italiæ, Treuerēsem Galliæ nomine, & cum his alios quatuor seculares principes, Palatinum comitem Rheni,

vt ex officio etiam esset Dapifer; ducem Saxoniæ, qui esset Marisscalcus; Marchionem Brandenburgemsem, qui esset Camerarius; & Regem Bohemiæ qui Archipincerna Imperij esset. Hi septem principes eligendi Imperatoris ius & potestatem sic acceperunt.

Quin & Decretalium exemplaria quædam recens Lugduni impressa, habent additionẽ, super Venerabilem, quæ constitutionem VII Electorum, Othoni tertio tribuit, cui sanè aliqua fides à papistis tribuenda est.

Eodem modo & Theodoricus Niemus, qui primùm fuit multorum Paparum secretarius, postea Episcopus Verdensis, eidem Othoni Cæsari & principibus Imperij constitutionẽ VII Electorum adscribit. Quod & Albertus Cranzius in sua metropoli facit disertis verbis, sicut & in alijs suis historijs.

Deniq; Cardinalis Cusanus eandẽ sententiam confirmans, omnium prolixissimè de Electorum ordinatione & potestate, in tertio de concordantia catholica capite 4. hisce verbis scribit:

Quòd Electores à Romano põtifice nõ sint creati, nec ab eo potestatem habeant, sed ex communi consensu subiectorum imperio, qui diuino & humano iure non positiuo sibi Imperatorem præficere possunt, & quòd

quòd rectum & iustum Imperium vim solā ex eorum electiōe, absq; Papali cōfirmatione habeat, & quòd deponi à solo Papa non possint.

Insuper de Electoribus Imperij esset tractādum, de quibus in cap. Venerabilem de Electione dicitur, & volunt doctores dicere ipsos nomine Romani populi eligere, de quo per Iohannem, in addi. spe. de rep. possunt § finali. verò. Item quod obtentū. Omne enim ordinatū Imperium vel regnum vt superius quodam loco dictum est, ex electione ortum capit, & tunc vera Dei prouidentia censensetur prælatus. Vnde Valentinianus & Marcianus Imperatores ad Leonem Papam de congreganda synodo scribentes scribunt sic, Victores Valentinianus & Marcianus gloriosi, triūphatores semper Augūsti, Leoni Reuerendo Archiepiscpo gloriosæ ciuitatis Romæ. Ad hoc maximum Imperium veri Dei prouidētia & electione Senatus excellentissimi, cūctæq; militiæ prouecti sumus. &c. (Notanter) Ecce dicit Electionem senatus & militiæ. secūndum enim hoc, Heinricus primus pater Otthonis ordinationem Conradi regis legitur per electionem constitutus rex, cum prius esset dux Saxoniæ, & primus factus est Rex Theutonicorū. Ottho uerò eiꝰ

filius à Synodo & Romano populo accepit poteſtatem ſucceſſorem ſibi eligendi, vt dicit textus, in Synodo. 63. diſt. allegatus. & hoc quo ad regnum Italiæ ſecundum glo: & ſecundum illam ordinationem uſque ad Tertium Othonem ſucceſsio ſeruata eſt. Poſt cuius mortem Heinricus ſecundus filius fratris III. Otthonis electus eſt, & hic imperator conſenſu procerum primatum, & vtriuſq; ſtatus cleri & populi perpetuos electores, qui vice omnium eligerent, ordinauit, tempore Gregorij quinti Almanni conſanguinei quondam Othonis. Non eſt igitur eo modo concedendum, Electores à Romano potifice eligendi poteſtatem habere, ſic quòd niſi ipſe conſentiret, non haberet, aut ſi vellet, ab ipſis tollere poſſet. Quis rogo dedit Pop. Rom. poteſtatem eligendi Imperatorem, niſi ipſum ius diuinum & naturale? Per viam enim voluntariæ ſubiectionis & conſenſus, in præſidentiam prælationes concordantiales rectè & ſanctè conſtitutę ſunt in omni dominandi ſpecie: Omnis enim violentia iuri obuiat, obtemperare enim regibus eſt, ex generali pacto humano. 8. diſt. C. quæ contra mores. § generale. l. fi; C. de Iuridict. om. iud. ff. quod cuiuſque vniuers: l. 1. 3 2. Sicut enim in Toletano cócilio anno Chriſti 581. tempore Siſenandi regis

regis in 175. ſtatutũ fuit, qđ defuncto rege primates gentis cum ſacerdotibus ſucceſſorem regni conſilio communi conſtituere habent. Vt dum vnitatis concordia retinetur, nullum patriæ gentisq; diſsidiũ per vim ambitionis oriatur. & ſubiũgit cõſtitutio, quòd qui aliter aliter tyrannicè regimẽ vſurpauerit, ille excommunicatus ſit, & ponit horrendam anathematizationẽ & maledictionem. Dicuntur enim reges græcè βασιλεῖς, eo quòd tanquam baſes in colligãtia concordãtiali populum ſuſtineãt. quare baſes coronas habent, tyranni gręcè idẽ quòd Reges latinè. Nam tiro, fortis, quod tyrannis fortis rex; & poſtea in vſum venit, quòd tyrãni dicantur peſsimi & improbi reges, luxorioſi, dominationis cupiditatẽ, & crudeliſsimam dominationem in populo exercẽtes, vt dicit Iſidorus 9. Etym. Inuaſores itaq; dominij, non vocati, nec electi, tyranni dicuntur. Ecce ſi ea, quæ ſuperius habẽtur, ad mentem reuoces, quomodo omnis ſuperioritas ordinata ex electiua concordantia ſpontaneæ ſubiectionis exoritur; & quòd populo illud diuinum ſeminarium, per cõmunem omnium hominum æqualem natiuitatem, neceſsitatem & æqualia naturalia iura ineſt, vt omnis poteſtas, quę principaliter à Deo eſt, ſicut & ipſe homo, tunc diui-

na cenſeatur, quando per concordiam com munē à ſubiectis exoritur, vt ſic cōſtitutus, quaſi in ſe omnium voluntatem geſtans, in principando publica & communis perſona ac pater ſingulorum vocetur, in recta regulari ordinata potentia cuncta gubernans abſq; faſtu ſuperbiæ, dum ſe quis omniū, collectiue ſubiectorū ſibi, creatum cognoſcit, ſingulorum pater exiſtat. Hoc eſt illud ordinatum ſpiritualis colligaturæ diuinum matrimonium, in radice duratiuæ concordantiæ collocatum, per quod iſta reſpublica optimè ad finem æternæ felicitatis ſumma pace dirigitur. Et quia huius radices diuini & humani iuri ſuperius habētur, nō replico idē. Sufficit ſcire, qđ electio libera, à naturali, & diuino iure dependens, non habet ortum à poſitiuo iure, aut homine quocunq;, vt in eius arbitrio exiſtat, quo ad hoc validitas electionis maximè in eligendo regem & Imperatorem, cuius eſſe & poſſe ab homine vno non depēdet. Vnde Electores qui communi conſenſu omnium Alemanō rum, & aliorum, qui imperio ſubiecti erant, tempore Secundi Heinrici conſtituti ſunt, radicalem vim habent, ab ipſo cōmuni omnium conſenſu, qui ſibi naturali iure imperatorem conſtituere poterant, non ab ipſo Romano Pontifice, in cuius poteſtate non

eſt

ẽſt dare cuicunque prouinciæ per mundũ Regem vel Imperatorem, ipſa non conſentiente. Sed concurrebat ad hoc conſenſus ipſius Gregorij Quinti, tanquam vnius põtificis Romani, qui iuxta gradũ ſuum in cõſentiendo in cõmunem Imperatorẽ intereſſe habet, rectẻ ſicut in cõcilijs vniuerſalibus concurrit, in primo gradu autoritas ipſius per cõſenſum cum alijs omnibus, ipſum cõciliũ celebrãtibus, Victor nihilominus diffinitionis, non ab ipſo primo omniũ pontifice, ſed ex cõmuni omnium & ipſius ac aliorũ conſenſu dependet. Sed quod in cõſtituendo rege aut imperatore ipſius ſacerdotij, ſicut & laicorũ conſenſus interuenire debet, hoc non eſt ex eo, qua Imperiũ regium ſupereminet imperatiuẻ ſacerdotio, qua ſcimus ſacerdotiũ Soli, & Imperiũ Lunę ęquari, vt in C. Solite de maio. & ob. ſed quia ipſa accidentalia rerum tẽporalium, ſine quibus ſacerdotiũ in hac caduca vita aliquãdiu ſubſiſtere nequit, ipſi imperio, vt vult Auguſt. 8. diſt. quo iure 23. q. 7. quicunq; & ſuis regibus ſubſunt. Cui igitur cura eſſe debet de cõſeruando ſacerdotio, in eſſe illius intereſt etiã in regem conſentire. Quare ad Rom. põtius qui de ſacerdotio maximã curam gerit, valde ſpectat, ita quod puto in veritate, cõſenſum Rom. pontificis, à principio inter-

venisse, dũ isti electores cõstituerẽtur; vnde ipsi cõmuni fungentes legatione, omnium qui imperio subsunt, etiã totius sacerdotij & Rom. pont. eligunt, qui electus sine dubio ex ipsa electione cuncta cõsequitur, vt no ta tũ in glo. 93. dist. legimus, & Innocẽtius in capite Venerabilẽ, de electione: & ita tenetur, vt notat Hostiensis de verborũ significa tionib. super quibusdã, & glo. in Cle. Rom. super verbo Reges de iureiur. quoniã subiectionẽ omnium habet, & per cõsequens imperandi potestatẽ, in qua cõsistit Imperij essentia. Dicti enim prius fuere ab imperãdo exercitui. Vnctio autẽ & coronatio, quę etiã legimus alijs regibus tribui, nec arguunt in Papa autoritatẽ, supra ipsam electionẽ confirmãdam vel informandã, vel supra ipsum etiam imperiũ, quod ad tẽporalia: sicut nec vnctio quæ fit Regi Franciæ Remis, aut coronatio ipsorũm et Imperatorũ, per Archiepiscopũ Coloniensem Aquisgrani. Et hoc patet ex eo, quia legitur Othonem primum ab Archiepiscopo Moguntinensi Hyldeberto Aquisgrani inunctũ in regem Alemaniæ, & Francorũ, de consensu & voluntate principũ & totius populi Alemaniæ, Saxoniæ & Franciæ. Sic etiã legitur ab Hergerio Archiepiscopo Moguntinensi vnctionẽ & diadema, mortuo Conrado rege, Heinrico primo

primo de cōmuni omniū cōsensu oblatum, qui recepto diademate noluit inungi, quia dixit, se indignum. Ex quibus patet, vnctionem & diadema nihil præstare Imperiali potestati. Insignia enim illa, quasi ad maiestatem sacrā, quæ imperio inest, ostendendā, visibili materiali subiecto Imperij cum ceremonijs impenduntur, vt sint signa prædicantia admirandā illam potentiam, sicut similia in Rom. pontifice videmus fieri, qui tamē ante omnia talia Papa est. Post electionem nomen etiam, quod in coronatione, quæ per Papam Imperatori impēditur, mutatur, vt prius Rex, & postea Imperator vocetur, nihil minus potentiæ imperandi prius fuisse in eo arguit, vt notissimum est. Fuit itaque in veritate Imperator, tum in libera potestate habuit imperare, & etiamsi in vulgo non ita nominaretur, sed vt ad ipsam coronationem anhelet Rex, seruatur huic solennitati hoc nomē, de qua quidē coronatione, diademate, & alijs notat glo. in Cle, Rom. allegata super verbo vestigijs: tum enim vt dicit Isidorus 9. Ety. duces titulis imperatorijs fungerentur, senatus censuit, vt Augusti Cæsaris hoc tantum nomē esset, & eo nomine à cæteris gentium regibus distingueretur: ex hoc Cęsares sibi hactenus hoc nomen cœperunt, maximè tamen à Ro

mano pontifice, à quibus Romanis Imperium dependet, diademate insigniuntur. Et quia hæc materia à multis disertissimè est tractata, sufficiat nobis scire, quòd nostri Electores Imperij, dum eligunt vno communi omnium, qui subsunt imperio, consensu, per concordem omnium transfusionem in eos: in qua quidem concordia Romanus pontifex Gregorius Quintus includebatur, hoc agunt, & ex hoc, ex electione imperator efficitur absq; quacunq; cõfirmatione, sicut rectè in cardinales vniuersalis ecclesiæ potestas per cõmunem omnium tacitum vel quendã expressum cõsensum in eligendo Papa transfusa est, & ideo absq; omni cõfirmatione electus Papa est. & sicut potestas electiua hac cõcordantia venit in certos vtriusq; status principes, ita cum par esse debeat potestas tollendi, ab ipsis hanc potestatẽ non puto Rom. pont: solum ab ipsis principibus abdicare posse eandem: sed cõcurrente tam ipsius Rom. põtificis cum aliorum omniũ consensu nõ dubitatur ab ipsis tolli posse hanc potestatem: & hoc est cõmune omnium peritorũ dictũ, potestatem cõdendi leges populum Rom. ab Imperat. tollere posse, quoniam ab ipsis potestatem habet. Sic legimus populum Romanum longo tẽpore à regibus rectum superbiam

superbiam regum non ferentem, annua imperia binosque consules fecisse. Sic & Dictatores & cætera quæ suo regimini secundum tempore videbâtur conuenire.

En audis Cardinalem Cusanum planè pernegare Electores à pontifice Romano constitutos esse.

Martinus Polonus, Paparum familiaris, differens de constitutione electorum, non tribuit eam Papæ, facturus proculdubio, si verè potuisset. Sic & Antoninus episcopus Florent: Sic & Leopoldus de Babenberg sæpè dicens de constitutione VII Electorum, nusquam tamen id Papis aut Romanę Ecclesiæ ascribit; cuius alioqui studiosissimus fuit. Verùm ascribamus etiam Niemi de hac re ex ipsius Nemore sententiam.

Præterea prout in Alemannia ad huc veterum & proborum virorum fama refert, & historiæ declarât, Heinricus primus & post eum ipsius filius Otho primus Mag Augustus & primus Alemannorũ rex generalis, & post illum Magni Othonis filius Ottho secundus: ac post illum dicti Othonis secũdi Ottho tertius: & post illum, quia non habuit prolem masculinam, Heinricus secundus filius Heinrici ducis Bauariæ, Germaniæ prædicti Othonis primi Augusti huius nominis secundus Augustus Collateralis,

venerádas reliquias per ipſos Electores cor poraliter tactas denuo iurarent, quòd iuxta corū noſſe, melioré, vtilioremq; Reip. eligiſ ſent, ſcilicet hunc præſenté regé coronádū *Hæc Niemus epiſcopus Vuerdenſis in ſuo libro cui titulum fecit Nemus.*

Cœterùm vera Electorū cōſtitutionis ratio ꝓculdubio hæc fuit. Diximus ſuprâ omnes Monarchias ſuos quoſdá ſummos principes habuiſſe, qui & cōcilio & auxilio monarchá in tuenda Monarchia iuuerūt: pręſertim verò Germanica regna ſemper fuerunt diſtributa in duces, marchiones, comites, Borones, & alios ordines, vt ex Gothico & Longobardico, quod fuit in Italia, notū eſt, & etiamnū ex Hiſpanico, Gallico & Anglico ptet, quæ omnia à Germanis propagata ſunt. Ac profectò in hac parte, tū prudentius, tū & ęquabilius, aut etiá humanius inſtitutæ fuerunt politiæ Germanicæ, quàm vllarū aliarum gentiū. Sic enim nec vno capite caruit regnū, nec tamen illud caput ſolū omnia pro libitu potuit. Aliarum gentiū politiæ magna ex parte aut tyrannicè ab vno rectæ ſunt, cæteris ſeruiliter obedientibus; aut dum nimia libertate vulgus fruitur regimine propemodū caruerunt. Verū cū dicat Ariſtoteles optimá eſſe politiam quę ſit mixta ex Monarchia, Oligarchia, & Democratia, talem planè quamdam formam

regna Germanorum in omnibus terris obtinuerunt. Atque hæc forma politię etiam illud ingens bonum secum attullit, ne vel quiuis temere ac per factionem auderet arripere Imperiũ, vel etiam electus legitimusq́; imperator tam subito quorũuis turbis ac seditionib. opprimeretur, vt innumeris Cæsaribus apud Romanos & Græcos accidit.

Fuerunt igitur sicut in omnibus alijs Germanorum regnis ordinati, certisque possessionibus ac terris ditati, principes ac optimates; ita etiam in Franconico, & Theutonico Imperio, vt omnes historiæ testantur. Illi igitur sæpè soliti sunt conuenire ac deliberare, cum de alijs omnibus rebus, ac necessitatibus regni, tum etiam de nouo rege, aut Imperatore, quem etiam sibi elegerunt, vt supra audiuimus. De quo genere electionis regum aut imperatorum sic scribit Leopoldus de Babenberg.

Qui Carolus reliquit regnum & Imperium cum prouincijs huiusmodi licitè, virtute dictæ generalis consuetudinis, filio suo Ludouico, excepta Italia, quam reliquit Bernardo nepoti suo. Et sic deinceps reges & Imperatores de genere dicti Caroli existẽtes, habuerunt per successionem generis regnum Francorum, seu partem regni, post diuisionem eiusdem cum Italia & Imperio,

eodem

eodem iure ac titulo, quo ipse Carolus tenebat, vsq; ad tẽpora Ludouici III, cuius tempore Italia defecit à fidelitate sua, & regni Germaniæ, cuius regni Germaniæ ipse rex erat: cesserat enim regibus Germaniæ felici sorte Italia cum Imperio, vt in superioribus plenè visum est. Regnũ autem Germaniæ habuit reges de genere dicti Caroli descendentes, quousq; defecit genus, vel saltẽ potẽtia generis ipsorũ in dicto regno. Quo genere deficiente principes & natu maiores Frãcorũ, Alemanorũ, Bauarorũ, & Saxonum, qui repræsentabant totum populũ Germaniç, elegerunt Heinricũ primũ ducem Saxoniæ in regẽ Germaniç & Francorũ, vt ex prius dictis in prædicto capite secundo appa-ret. Quod si facere poterãt de iure gentium, ex quo iure etiã regna cõdita sunt: scilicet quod quilibet populus potest sibi regẽ eligere, vt patet ex his quæ leguntnr & notantur ff. de iust. & iure. l. ex hoc iure. Et deinde Otho primus, filius eiusdẽ Heinrici (vt etiam visum est in eodẽ capite secundo) recuperauit Italiã ipsi regno Germaniæ, à quo cuiusq; societate defecerat, & factus fuit primus hic Imperator. Et tunc iterato incæpit regnũ Germaniæ cũ Italia & Imperio deberi ex successione generis vsque ad tẽpora Othonis III, cuius tẽpore fuit institutũ, quod

per cæteros principes Germaniæ, scilicet per Officiatos imperij eligeretur Imperator, vt etiam ex superius dictis planè patet. His itaq; premissis, primò probo veritatem dicti articuli generalis, de administratione omniũ prouinciarũ regni & Impij. Secũdò specialiter de administratione Germaniæ Primũ sic probatur. Quilibet populus carẽs rege, potest sibi regẽ eligere de iure gentiũ, ex quo iure regna cõdita sunt, vt iam dictũ est, per l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur. Et ex cõsequenti potest talis electus iure eodẽ ex tali electione populi regnare nomine & re: quod nõ est aliud nisi nomẽ regis assumere & iura & bona illius regni administrare, vt de se patet, Sed in regno & imperio cũ nõ habeat locũ hodie successio generis; mortuo rege vel Imperatore, populus Germaniæ, Italiæ & aliorũ prouinciarũ regni caret rege. Et principes Electores ratione iã dictę institutionis habent eligere regẽ aut Imperatorẽ reprẹsentantes in hoc omnes principes & populũ Germanię, & Italię aliarũ prouinciarũ & terrarũ regni & Imperij, quasi vice omniũ eligendo, vt ex dicẽdis infra in capite proximo plenius apparebit. Ergo cõcluditur, quòd electus per eos concorditer ex electione huiusmodi potest de iure gentium licitẹ nomine ac rẹ ipsa regnare, quod

non

non videtur aliud nisi nomen regis assumere, ac iura & bona regni & imperij administrare, vt prædixi. Et ex hoc iure gentium credo verificari dictum Beati Hieronymi dicentis, quòd exercitus fecit Imperatorem vt patet in Can. 93. dist. c. legimus. Quia exercitus seu populus eo tempore repræsentauit totum populum Romanum Imperio subiectum, vnde etiam facere poterat Imperatorem. Sed hodie principes electores ratione dictæ institutionis, populum huiusmodi repræsentant.

En audis ius eligendi regis in vnaquaq; gente, & sic etiam in occidentali imperio proprie esse penes ipsos subditos, præsertim autem optimates ac principes, & quod porro illi id ius permiserint septem Electoribus qui omnes subditos repræsentent. Atq; ex eo naturali fonte, omnes sinceri scriptores siue philosophi, siue historici, ius eligēdi legitimos magistratus deducunt. Quare inde quoq; post dei ordinationem electionis ius ad aliquot Germaniæ principes peruenit & non ex tyrannica plenitudine potestatis beatissimorum pedum.

Eligebant igitur initiò omnes principes & proceres Imperatorē de vnanimi cōsensu verùm quia in illis electionibus nō raró ob multitudinē turbæ ac dissidia oriebantur,

fficultate totque periculis, maximè idoneum deligerent, quo facto ille disertè confessus est, ipsorum esse, non suum, eligere Imperatorem. Si verum esset quod Paparum adulatores contendunt, Papas Carolo dedisse imperium, Papas Othoni primo Imperium tradidisse, Papas deniq; post Othonem tertium, ius eligendi Cæsaris Germanis tradidisse, an non ibi mortuo secundo Othone suum illud tam pienarium ius eligendi & creandi Imperatores, vel maximè Papa demõstrasset, cum tanta esset de ea re controuersia; cumq; Romæ in sede Papali negotium ageretur? An non etiam cùm alij omnes, tum etiam Germani, qui ibi adfuerunt, ad beatorum pedum oscula procumbentes simpliciter & suppliciter orassent, vt eis ex sua plenitudine potestatis Imperatorem daret, quemcunq; modo ipse vellet? Verùm cum Germania ibi in media Italia & sede Papali adeo elegerint liberè, vt & Papa orando eos, vt idoneum eligerent, id esse ipsorũ iuris esse testatus sit, & illi Italorum ac Romanorum flagitationem de Crescentio (qui tunc ibi adeo potentissimus fuit, vt postea per factionem deposito vero Papa, alium intruserit: cuius etiam facinoris Cæsari postea pœnas pependit) reiecerint, ac insuper captiuum Othonẽ ereptũ, Im-

peratorē fecerint, facilè eſt conijcere eos iá tum pleniſsimū ius electionis habuiſſe, longè antequam Gregorius V tale decretū Electorum, vt iſti fingunt, decreuerit.

Veriſimile verò eſt Germanicos principes cū iam tam plená poteſtatē Electionis Imperialis haberēt, & tales difficultates ibi in cōſtituēdo nouo imperatore expti eſſēt, vnà cū ipſo Imperatore Othone III, præſertim iá domū reuerſos, & in tuto exiſtētes, admonitos eſſe ſapiēterq; cogitaſſe in poſterū talibus difficultatibus omnibus modis occurendum eſſe, eoq; legem de certis Elect. Imperij, ſicut ex multorū teſtimonio ſuprà audiuimus, tuliſſe firmiſsimeq; ſanciuiſſe.

At quod Pōtificij adulatores clamātGregoriū Quintū eam poteſtatē Germanis tradidiſſe, & iſta ratione, vt nūc ſunt cōſtituiſſe, nullo certo teſtimonio probari poteſt, & inſuper rationi repugnat. Auentinus ſanè affirmat ſicut & Cuſanus, ſe apud vllū veterē & autenthicū ſcriptorē quicquá tale ſcriptum reperiſſe. Sed pugnat (vti dixi) cū omni ratione iſtud figmētū: ná primū electionis ius veteri more ſtatim in ipſa imperatoria dignitate continebatur, cum imperium fuit adhuc hæreditariū, vt Corolus alius'ue aliquis, cum ſemel fuit factus imperator, nō tátū ipſe ꝑ arbitrio impauit, ſed potuit etiá eā dignita-

dignitatem communicare alteri cui voluit, vt Carolus cõmunicauit Ludouico filio; is porrò Lothario. Potuit igitur idẽ Imperator ex plenitudine suæ potestatis, etiã alijs illud ius eligendi tradere, aut constitutionẽ aliquam, decretumq́; de ea facere, nõ expectato Papæ mandato, qui tunc eius iuratus subditus fuit cum omnibus Romanistis, sicut Sergius iurauit Lothario fidelitatem cum suis Romanis, & plurimi alij Papæ.

Deinde creato semel imperatore & translato imperio in aliquam gentem, vt isti gloriantur se transtulisse in Francos & Germanos, non tantùm ipse vnus homo habuit illam plenitudinẽ imperatorię potestatis, sed etiam principes potestatis illius participes fuerunt. Imperium enim non in vno solo homine, sed in toto eorum corpore & præsertim in eius Principib. cõsistit. Quare audiuimus supra principes sibi aliquoties Imperatorẽ delegisse, etiã ante Othonẽ III & Gregoriũ V. non salutato Papa aut Romanis..

Blondus, Sabellicus, Platina & alij paparum adulatores dicunt, Gregoriũ Quintũ adẽpto Rom. electionis iure. id in Germanicos principes transtulisse. At non considerant quid dicant: quando enim unquam populus Romanus post Carolum Magnum aliquem Imperatorem elegit suumúe illud

ius vlla eius vſurpatione teſtatus eſt? At cōtrà, Germani adeo iam antea id ius eligendi nouū Imperatorē habuerūt, vt cum aliàs libere ſibi Imperatores elegerint, tum etiam mortuo Othone II Romæ, idq́; præſente Papa, imò eis etiam, vt idoneum eligerent ſuplicante, & quidem contempta Romaniſtarum, Creſcentijq́; factione, ac deniq́; iam captum principem in Imperatorē elegerint & creauerint. Qua quæſo tandē alia ratione aut facto vel Germani vel Papa alijq́; Itali, clarius & illuſtrius teſtari potuiſſent, id ipſorum iuris poteſtatisq́; eſſe, quàm illud ipſum idq́; tali loco ac tēpore factū fuit reipſa?

Præterea ſi penes Romanos manſiſſet ius eligendi Imperatores, non fuiſſet profectò verè tranſlatum Imperium in Francos. Sic cum fuit tranſlatum Imperium in Græcos, Conſtantinopolitani Imperatores non expectarunt Papæ aut Romanę plebis adſenſum, aut electionem, vel etiam coronationem. Quare (vt modo dixi) manifeſtiſſimum certè eſt, quòd Romani ac Papæ ius eligendi Imperatoris ſibi retinuiſſent, nequaquam verè Imperium fuiſſe translatum in Francos aut Germanos.

Quod verò impudētius hoc figmēto excogitari poteſt? Romani illis tēporibus nō habuerunt aut ſibi retinuerunt ius eligendi

proprij

proprij Episcopi, vt ex ipsorum diplomatibus dist. 63. & tot histori's apparet, quod tamen omnes aliæ Ecclesiæ habuerunt, sicut alio libro probaui. adeo seruili conditione fuerunt, nedum vt orbi terrarum, cum vellet Monarcham eligere ac constituere, aut cuiquam eum constituendi ius dare potuerint. Refutat hanc fabulam de constitutis à Gregorio V. electoribus etiam Onuphrius Panuuinus diligenter ac solidè, prolatisq; non contemnendis testimonijs & argumentis, quem vide, si libet.

Sed probent sanè, si possunt, & etiam obtineant, Gregorium Quintum tale aliquod decretum sanxisse, quid tandem eo efficiet? num eos illud ius creandi Imperatores ad Germanos transtulisse? At id iā antea translatum erat, vt suprà liquidò ostendi. Id igitur tantum illud decretum voluisset & valuisset, si modò vllum extitisset, vt Papa tali relicto, suos illos seditiosos, perpetuoq; turbas cientes, degeneresq; Romanistas doceret, vndenam legitinum Imperatorem expectare, & excipere deberent; nempe à principibus Germaniæ, sicut antea priores Papæ eosdem suis decretis docuerant, eos debere nouos Papas, ex electione aut certè confirmatione Imperatorum expectare.

Quo facit quòd Tritheminus Hirsauiensi

ſcribit, eum Papam decreuiſſe electio Imperatoris penes eos quos Otho III. conſtituiſſet, vnde magis Ceſaris quàm Papæ opus fuit creatio Electorum. Quid verò euidentius eſt, nullam talem conſtitutionẽ à Gregorio V. factam eſſe, quàm quòd nec Gratianus in decreto eá inſeruit, nec Gregorius in Decretalibus aut tertia Pontificij iuris parte tale aliquod decretum adſcripſerit, cum tamen Gratianus non ita valde multùm poſt Gregorium V. vixerit, & illi ſtudiosè talia ſua præclara facinora collegerint, ac in ſuum illud impurum ius confuderint.

Deniq; proferant, ſi poſſunt, exemplar iſtius decreti, quod à Papa Gregorio V. factum eſſe aiunt. Decretales de minimis rebus conſeruarunt, an non hanc conſeruaſſent multó diligentius de tam graui cauſa factam, præſertim cum, ſi quod tale decretum feciſſent, egregiè ſui ſedi, vt ſolent, proſpexiſſent.

Verùm quoniam aduerſarij vident, ſe illud vetus figmentum de Electorib. à Gregorio V. conſtitutis confirmare non poſſe, ideo ad Gregorium X. decurrunt, dicunt eum id præclarum facinus patraſſe. At contrà verum eſt, quod multis teſtimonijs oſtẽdimus. Germanos principes lõgè antea ſolitos

litos eligere Cæsares. Vt ergo maximè Gregorius X. aliquid de electoribus egisset, nō tamē tunc Electionem Germanis tradidisset, quàm illi ante, vt ostensum est, habuerāt, Sed tātum ad aliquot principes restrinxisset. Ostēsum etiā est fide dignorum historicorum testimonijs, Electores longè antea deputatos fuisse. Martinus sanè polonus aut Pœnitentarius, Papæ Archiepiscopus Cossentinus, qui tempore huius ipsius Gregorij X. vixit, & res actaq; Paparum notissima habuit, eorumq; non tantùm studiosus, sed & familiaris fuit, affirmat Electionem Imperatoris officiarijs Imperij mox post Othonem. III. attributa esse. Cui in hac re meritò profectò fides adhiberi potest ac debet

Verba eius hæc sunt: Et licet isti tres Othones, per successionē generis regnauerīt, tamē postea fuit institutū, vt per officiales imperij Imperator eligeretur: q sunt septē, videlicet primò tres cancellarij, isti Mogūtinensis cancellarius Germaniæ, Treuerensis cancellarius Galliæ, Coloniensis cancellarius Italiæ, Marchio Brandeburgensis, Camerarius est, Palatinus, dapifer, Dux Saxoniæ, ensem portat, Rex Bohemus, pincernā agit. Vnde versus.

Maguntinensis, Treuerensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij sit cancellarius horum:

Et Palatinus, dapifer: Dux, portitor ensis.
Marchio, præpositus cameræ: pincerna Boem9:
Hi statuunt Dominū *cunctis per secula summū.*

En vides istum Electorum constitutionem, vt rem vetustam narrare, & versus illos vt dudum peruulgatos recensere, quæ si fuisset ipsius tempore à Gregorio X. aut quopiam alio constituta, ignorari certè ab eo minimè quiuisset, multo minus fuisset ea constitutio dissimulata.

Licet verò non hoc nunc agam, vt exactissimam electorum originem inuestigem, aut alijs indicem, tamen nolo celare & hoc indicium ueritatis contra istā nouā falsamque opinionem de Electoribus à Gregorio X. creatis.

Habeo Chronicon manuscriptū mēbranaceū diligenter confectum, inde à cōdito mundo vsq; ad annū Domini. M C C LVI. cuius author testatur in præfatione se incœpisse scribere anno. M.C C XL. scripsit igitur per annos .16. Multa inde ad verbum penè Crantzius in suā Metropolim trāsum psit. Is igitur de dissidio Gregorij I X. & Friderici secundi, & de anno . 1240 . loquens (quod sanctè affirmo) hæc ad verbum scribit.

Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, principes super

per

per electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit, quia quidam principum ei rescripserunt, non esse sui iuris imperatorem substituere, sed tantum electum à princpibus coronare. Electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex prætaxatione principum, & consensu eligunt Imperatorem, Treuerensis, Moguntinus, & Coloniensis. Treuerensis enim licet de Alemannis non sit, ratione antiquitatis eligit, quia cum eadem ciuitas à filio Nini, quem Semiramis nouerca eius, stuprum ab eo desiderans, à Babylone fugauit, sit constructa, Abraham patriarcha trium annorum existente: etiam est à tempore Petri Apostoli in fide catholica solidata. Palatinus eligit, quia dapifer est. Dux Saxoniæ, quia marscalcus, & margrauius de Brandēburga, quia camerarius. Rex Bohemiæ, qua pincerna est, nō eligit, quia Theutonicus nō est. Eodem anno cœperunt magis ac magis horendi rumores de populis barbarorum, qui dicti sunt Caroarim, succrescere, qui pertranseuntes innumerabili multitudine & manu valida, Rusciā & Poloniam & alia plurima regna, nulli pepercerunt; sed omnes quos attingere poterant, cuiuscunq; essent professionis, sexus, vel ętatis, crudelitate nimia peremerunt. Venientes in Hungariam inopinatissimo euen-

tu. Itaq; infinita ſtrage hominum regem, occiſo fratre eiꝰ in pugna, de ſuo regno in Græciam expulerunt.

Hîc clarè audis tum aliquos principes agnoſcere aliorum officium non ſuum eſſe, eligere Cæſarem, tum etiam ipſum hiſtoricum tempora Gregorij & Friderici II. viuẽtem, recenſere electorum nomina, officia & ordinationem, quæ omnia ita proponit, tanquam rem iam dudum vſitatam & veterẽ. Vetuſtatem eius etiam ex eo agnoſcas, quòd tunc adhuc Rex Bohemiæ non fuit Elector. Quo verò magis Chronici eius autoritas agnoſcatur, ſciendũ eſt plurima inde Crantzium penè ad verbum in ſuam Metropolim tranſumpſiſſe, idq; hoc ipſo loco ex præcedentib. & ſequentibus in librũ Octauum. Quin etiam hunc ipſum textũ paululum mutatis verbis recenſuit, ita enim habet cap. v. libri 8. Gregorius Papa per hęc tẽpora inſolentias Friderici Imperatoris metuens contra Eccleſiam, principes Electores ſuper alterius pro illo aſſumptione ſolicitauit: ſed nihil profecit, quia quidã ei principes reſcripſerunt, non eſſe ſui iuris, Imperatorem ſubſtituere, ſed tantùm electum à principibus coronare. Hoc fuit reſponſum Colonienſis ac Moguntini. Electio enim ad quoſdam ex deſignatione tertij Othonis,

ad

ad certos principes Germanię pertinet: inter quos Treuirensis, Moguntinus, Coloniensis archiepiscopi. Treuirensis enim licet omnem suam ditionē in Gallijs teneat, Elector tamen constituitur: quia illa tempestate omnis illa Germanię prouincia annumerabatur. Testatur hodie lingua qua vtuntur promiscua. Ferunt Treuerim pro sua antiquitate venerabilē, quòd Nini Babyloniorum regis filius eam extruxerit temporibꝰ Abrahæ, fugiens Semiramidis nouercæ incontinentiam. Cæterum hoc indubitatum est, à temporibus Petri Apostoli semper eã fuisse Christianam. Palatinus comes inter alios eligit, quia dapifer est. Dux Saxoniæ, quia marscallus: & Marggrauius, quia camerarius. regē Bohemiæ annumerãt in differētia cæterorum sex: tum initio annumeratus erat Teuthonicis, quia in solo Germanico sedet, circumfusus Germanis: sed nūc quia nationem specialem fouet, & regnū eius in schismate est, ad electionem non uocatur:

Confer ista duo loca, reperies magnam cōuenientiam, vt liquidò appareat Crantzium ea ex hoc manuscripto desumpsisse. Et sanè (vt verùm fatear) ex illis ipsis maritimis locis, vbi Albertus Crantzius versatus est, primū hic liber est desumptus, multaq; habet de rebus Saxonicis, vt sit verisi-

mile Crantzium eo vſum eſſe. Codicem (ſi quis de mea fide dubitat) exhibere cuiuis volenti videre paratus ſum. Verùm, omiſsis ambagibus, quoniam nunc quidam hoc tãquam ſuum quoddam nouum ac eximium inuentum mirificè oſtentant ac iactant, Electorum videlicet conſtitutionem eſſe rem nouam, & demum à Gregorio decimo factam, quod ad ſingularem contumeliam, tum Romani Imperij, tum Germanicę nationis, tum deniq; ampliſsimi ordinis ſeptemuirûm; & contrà ad amplificationem ſuperbiæ & tyrannidis Pontificiæ plurimum facit: Ideo demonſtrabo vel oculari demonſtratione, Electores principes iam non minus quingentis, ſi non ſexcentis annis fuiſſe, & iſtam poteſtatem obtinuiſſe, eamq; inſuper non à Papis Romanis, ſed à veteri iure & conſuetudine accipiſſe.

Teſtis verò iſte omni exceptione maior eſt decretalis Venerabilem &c. quæ extat lib. decretalium primo, titulo 6, cap. 34, cuius hæc verba ſunt:

Venerabilem: & infra. Inter cœtera verò quidam principes hac præcipuè obiectione ſunt vſi, dicentes, quod Apoſtolicę ſedis legatus, aut Electoris geſsit, aut cognitoris perſonam. Si Electoris in meſſem alienam miſerit falcem ſuam; & electioni ſe ingerẽs,

principum

principum derogauerit dignitati: si cognitoris, absente altera partium, uidetur perperam processisse, cum çitata non fuerit, & ideo non debuit contumax iudicari; & infrà. Verùm ILLIS ius & potestatem eligẽdi regem in Imperatorem, postmodũ promouendum recognoscimus (vt debemus). Ad QVOS de iure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cũ ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica sepe peruenit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli â Græcis transtulit ad Germanos.

En audis hic primùm Papam Innocentium Tertium agnoscere & confiteri, non esse suum aut sui legati eligere Imperatorem, vel electioni interesse.

Secundò, cernis eum testari id ius pertinere tantùm ad certos quosdam principes, non ad omnes: dicit enim, ILLIS principibus ius & potestatem eligendi Imperatorẽ recognoscimus, AD QVOS DE IVRE ac antiqua consuetudine noscitur pertinere: & aliquanto post: quamuis plures ex ILLIS, QVI eligendi Imperatorem de iure ac de consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibentur in ipsum regem. Illi, qui habent ius, non significat, omnes habent ius. Itẽ aliquãto pòst (vt ea deceret: ple

nius habetur in collectionibus Petri Beneuentani, qui decretales Innocentij huius in vnunm volumē redegit) vnde priuilegium meruerūt amittere, quòd permissa sibi abusi sunt potestate. Videri non immeritò potest, quòd iniuria huius non obstante, cæteri vti poterant iure suo. Et quoniā dux prædictus, nec vbi debuit, nec à quo debuit coronam & vnctionem accpit. Memoratus verò rex & vbi debuit, videlicet Aquisgrani, & à quo debuit, scilicet à venerabili Episcopo fratre nostro, Coloniēsi Archiepiscopo recepit vtrumq; &c. Vides ista omnia iura electionis dudum antea fuisse constituta. Expendatur verborum emphasis, ILLI qui, clarè indicans non omnes, sed tantùm certos quosdā id ius habuisse. Fuerūt igitur aliqui certi electores, nō omnes Germaniæ principes promiscuè elegerunt. Expendantur verò hic simul etiam illæ circunstantię, quòd is princeps ad quem eam decretalem Papa scripsit fuit etiā Germanus, nēpe Dux Zaringiæ aut Carinthię, vt si ad omnes Germaniæ principes electio pertinuisset, procul dubio dixisset agnosco istud ius tantū ad vos Germanos principes pertinere. Sed ille ita cum eo agit, tanquam si id ius ad illū minime pertinuisset. Præterea si fuisset electio omnibus Germaniæ principibus summis ac

mis ac infimis communis, nõ ita grande nefas haberi potuisset illi tantæ turbæ eligentium etiam Sanctissimi legatum sese ingerere, quandoquidum pontifex semper voluit multum iuris in Imperio habere. Nunc cũ ita grauiter pontificius legatus inde arceatur, idq; etiam ipsemet pontifex alienum à se esse agnoscat,& disertè fateatur, apparet fuisse id ius certis ac immotis legibus paucis tantùm quibusdam proprium,qui nemi nem præterea alium ad id admiserint: Sed omnes inde firmo minimeq; cõtrouerso iure arcere potuerint, & soliti fuerint.

Quartò confitetur istam potestatem eis contigisse veteri consuetudine,non dicit alicuius Papę decreto aut constitutione, qđ libentissimè fecisset,si potuisset ulla specie.

Quintò vides eum dicere,istud ius ad Electores peruenisse ex illa prima Imperij trãslatione aut communicatione in Carolum Magnum facta, quam tamen falsissimè iste pontifex suis antecessoribus Papis adscribit,vt suprà luculenter demonstratum est.

Postremò etiam obserua,principes Germaniæ tunc temporis, non ita seruiliter istum seductorem ac tyrannum adorasse,vt paterentur ab eo sua iura imminui, eumúe se ipsorum electionibus immiscere. Cœpit porro Innocentius iste sedere anno Domi

ni 1198. vt circa M C C. annum nempe ante 365. annos sit illa decretalis conscripta. Quę cum testetur illud electorum ius ex vetusta consuetudine venisse, necessariò confitetur illam cõsuetudinem, vt minimum 200. aut etiam 300. annis ante se in vsu fuisse. Quinetiam, cum id ius ex illa prima occupatione & acquisitione Imperij Occidentalis per Carolum M. facta deducat, multo etiam vetustiorem esse eam potestatem fatetur.

Hinc igitur liquidò cernitur, manifestum figmentum esse, quo Electoria potestas sit res noua, quodq́; ea sit beneficium vel Gregorij Quinti, vt vetustiores historici scribũt vel etiam Gregorij Decimi, vt nũc noui quidam historici sominiant.

Quod verò rarius mentio in vetustioribus scriptoribus Electorum fiat, causa est, quia ijdem non hanc solum dignitatem habuerunt, sed etiam fuerunt tres Ecclesiastici cancellarij, Treuer. per Gallias, Colon. p Italiam, Moguntinus per Germaniam. Quarum appellationum vetustatem etiam ex eo animaduertere potes, quod olim, cum primùm sunt impositæ. non fuerunt nudum nomen, sine re. Atiam annis amplius D C. nihil habuerunt Imperatores in Gallijs, & iam C C C. nihil in Italia. Quid ergo opus

ópus fuit Imperij cancellario per ea loca,ubi Imperiũ nihil tenet. Ista igitur noĩa sunt tunc imposita,cum etiam Italia & Gallia ad Imperium pertinuerunt. Politici electores dicti Sunt:Marscalcus,Camerarius,Pincerna,& Dapifer sacri Imperij, quæ dignitates magis sunt celebratæ quàm Electoria. Credo etiam olim non fuisse tot minores principes,vt nunc, aut certè non fuit eis hoc nomen commune, eoq́; non fuit discriminis causa necesse addere,princeps Elector, sed cum historici dixerunt principes, mox subintellectum est Electores.

Fuerunt verò semper ista Germanorum regna ordinata, ac in menbra sua distributa,functionesq́; summæ,honestißimæ ac regno maximè necessariæ, inter principes veluti in membra quędam dispartitæ, vt non poßit dubitari, quin aliquod ius electionis inde à Caroli Magni Imperij ordinatione incœperit, vtcunq; plurimùm ipsorum morientium Imperatorum Testamentum aut mandatum de successore plurimum valuerit, & aliorum etiam principum uox sententiaq́; in eadem re non sit neglecta.

Hoc suum eximium decus deberent agnoscere Principes Electores, quod tum adeo vetustum sit, tum nequaquam Paparũ munus.id etiam contra historicorum men-

dacia tueri, eoq; grauiter ac in timore Dei ad gloriam filij eius, & publicam vtilitatem presertim contra Antichristum Romanum vti fruiq;.

Hæc omnia præcedentia, præsertim verò ista decretalis satis & plus satis sufficere posset ad conuincendum omnes aduersarios, asserendamq;, tum vetustatem electoralis VII. uirûm dignitatis, tum etiam quòd ea nequaquam illis ex Paparum munere cótigerit: Sed tamen addam adhuc quædam amplioris cumuli gratia ac (vt dici solet) ex superabundanti, quo tanto illustrius tū veritas asseratur, tum & perniciosus istorū error redarguatur.

Vincentius speculator, qui multo ante Gregorium X. suum speculum fabricauit, non obscurè indicat, Electores iam tempore Othonis. III. fuisse: dicit enim, quòd cū cadauer III. Othonis ex Italia in Germaniam transferretur, Heinricus dux Bauariæ extorserit Episcopo Coloniensi; à quo alij principes pependerūt, vt se eligeret in Imperatorem, vt satis indicet illum fuisse vnū ex præcipuis Electorib. vt & nunc est. Quare Electores longè ante Gregorium fuerunt.

Quis autem credat Blondum, Syluium, Platinam & alios, qui non vltra C . annos

post

post Gregorium X. vixerunt, vel potuisse eius Papæ acta ignorare, vel tale eius decus tacituros fuisse? Quin potius Platina narrat illius Gregorij Papæ tempore quēdam certis conditionibus ab Electoribus Imperij Electionem impetrasse.

Quod verò potest tandem excogitari euidentius indicium huius vanitatis, quàm quòd cum Bonifacius VIII. circiter viginti annis post hunc Gregorium, sextum decretalium congesserit, in eoq; multa huius Papæ decreta recitauerit, huius tamen primarij de Electorib. Rom. Imperij ab eo cōstituti nullam planè facit mentionem. Certè enim, si quid tale ab eo constitutum fuisset, hic tantum eius decus & tanti mométi constitutionem minimè reticuisset.

Redarguunt verò semet Papistæ etiam tā to magis in hoc ipso figmento, quod dicūt eum id Lugduni in concilio decreuisse. Ná nec adeo oblitari amittiq; id decretum tam celebri loco factum potuisset, nec satis veri simile est, quòd in medio regni Galliæ, ac concilio potissimum ex Gallicis Episcopis collecto tantum decus eligendi Imperatoris Germanis conferre ausus fuisset, præsertim cum id non rarò Galli ad se retrahere sint conati.

Verùm obtineant sanè Gregorium X. ali

quam sanctionem de electoribus fecisse, nō tamē certè probabunt; propterea unquam illum tunc primùm Germanis ius eligendi Cęsaris dedisse. Nam id eos multo ante habuisse pluribus ác inuictis testimonijs & argumentis suprà à nobis probatum est. Quibus & illud accedat, quòd Auentinus libro 6. fol: 636. recitat quandam epistolam Hadriani IIII. qui sedit anno Domini 1155. in qua ille clarè testatur, quòd Imperator habeat à suis principibus electionem: Verba eius hæc sunt. Ex Electione principum suorum habet nomen regis, ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris. In qua epistola cùm audacissimè & vehementissimè contendat ille tyrannus Imperatorem sibi subiectum obnoxiumque esse, nihilominus totum ius electionis principibus Germanicis relinquit. Qua bulla probatur, tum principes Germanos multo ante Gregorium X. habuisse ius electionis, tum idipsum illis non à pontificibus contigisse. Alioqui certè ille importunissimè id quoq; in illo suo feruore & iactantia ursisset.

Quare probent sanè, quando volent, Gregorium X. aliquam legem de electoribus tulisse; nihil tamen inde aliud efficient, quàm recentiores Romanorum pontifices sæpissimè diabolico furore tum

Impera-

Imperatores ac Imperium, Germaniamq́;, tum & totam Christianitatem, Ecclesiam ac religionē grauissimè infestasse & afflixisse, nihilq́ue non sibi iuris aut tyranidis potius licentiæque in quosuis vsurpasse. Atque adeo etiam & colla pedibus pressisse, & suos impurissimos pedes huic sacrosancto Dei Magistratui obsculandos obtrusisse.

Onuphrius Panuinus historicus Italus sectæ Augustianæ, diligentissimus scrutator talium vetustatum, licet diuinet, circa Gregorij X tempora electores 7 esse constitutos tamen, disertissimè confitetur, ac protestatur se non potuisse reperire à quonam & quando sint ordinarij isti Electores constituti. Verba eius hæc sunt:

Porro autem, etsi certè constet hanc VII Electorum institutionem, inter annū Christi MCCL, & MCCXXC exortam fuisse: tamen quo potissimum anno, vel quibus de causis, aut à quo Pontifice, vel in quo Germanorum principum conuentu, aut generali vel prouinciali concilio id factum fuerit, mihi adhuc incompertum est. Quod etiam diu multumq́ue me torsit, quod tanta res, ita ab illorum tēporum scriptoribus silentio prætérita sit: ex qua re factū est, vt eius primordia modò obliterata sint, & obscurissima. Quare vel inuitus ali-

quando queri cogor de tanta eorum hominum, qui superioribus seculis vixerunt, negligentia.

Quod cum iste tam digligens inuestigator, ac certè studiosissimus sedis Pontificiæ repire nō quiuerit, necessario sequitur nullum de ea re authenticum Paparū prostare decretū. Illud autē nō possum bona cōscientia reticere, nequaquam probandum esse, quod Onuphrius iste indicans, quinam ab initio ante constitutos VII Electores Imperatores elegerint. Primo loco inter illos vetustiores Electores nominat pontificem, seu eius legatos: secundo comitem Taurinensem & Marchionem Montisferrati, quibus in genere addit, & alij quidam Itali, postea demum illis adiungit omnes principes Germaniæ. Hanc suam enumerationem cum profiteatur se veterum historicorum testimonijs probare velle, proferatq; multorū dicta, nec vnicus quidē ex illis vel pontificē aut pontificios legatos vel aliquē Italicū principem Imperatorum electioni interfuisse testetur: sed tantùm Germanicos principes omnes vno ore testantur elegisse Imperatorē. Redarguit eum etiam Decretalis Venerabilē quā suprà citaui, & postea adscribā quæ fatetur vel nō esse vel pōtificis vel eius legati eligere Imperatorē, sed

tantùm

tantùm certorũ principũ. Hoc ideo obseruã dũ est, tum ne decipiamur eius testimonio, tum etiam, vt agnoscamus cõtrariũ esse verum, nẽpe Papam & Italos nullũ ius eligẽdi Imperatoris habuisse. Si enim id probare potuisset, promptissimè profectò fecisset.

Quod autẽ Papæ nõ habuerint olim ius eligendi Imperatoris, satis tum ex prædicta Decretali, tũ etiã inde patet, quod suprà ostendi Platinã testari, Benedictũ põtificem, Romæ mortuo Othone II, tantũ præcibus apud Germanos ibi existentes, & nouũ Imperatorẽ eligentes egisse, vt idoneũ Imperatorem in tantis difficultatibus eligerent.

Porro, quod Onuphrius pernegat Othonẽ III, de cõsilio ac cõsensu principũ cõstituisse certos Impij electores, vt alioq; multi historici sentiunt, quib. & ego assentior, nõ est nũc mei ꝓpositi ꝓlixius refutare. Satis enim mihi est, quod etiã ipso Onuphrio cõsentiente obtineo, Papã ius eligẽdi Imperatores Germanis nõ tradidisse, sed vnà cũ ipso Impio à Francorũ regib. qui & ipsi veri Germani fuerũt ad alios principes Germaniæ peruenisse: credo nihilominus ius priuilegiaq; electorũ subinde magis & magis cõstituta circumscriptaque esse vsque ad Carolum IIII, qui auream bullam edidit.

Verùm quod Onuphrij sententia dixi eũ

aliquod ius eligēdi cū alijs Germaniæ prin cipibus etiā legatis aut Papę tribuisse,in eo (ne eū iniuria afficiā) nō videtur ptinacius perseuerare:nā inter alia etiā prolixè docet Impatoris potestatē à pōtifice nō pendere. Hæc enim inter alia prolixè scribit fol. 369.

Ita vt mirari non deberē,si in hisce quoq; nullius,vel parui momenti reb. mutationis causas sine vlla ratione q̄rat. Quod nō ob aliā causam eos facere crediderim,quā vt pōtificiæ cōsecrationi,tanq̄ nullius valoris detraherent: cū tamen hæ consuetudines nō à Rom. pontificib.sed ab ipsis potissimū Frācis & Germanis Imperatoribus manarint. Quis enim pontificū Rom. vnquam iusit, Cæsaribus designatis,vt se ante inaugurationē suam,non Imperatores vel reges appellarent? Quis pontifex iussit Heinricis & Chunradis,vt eas numerorū notas vsurparēt? Nullus profecto;sed has sibi ipsis leges ipsemet Impatores lōgo tēporis interuallo paulatim prescripsere.Ita vt non opus mihi esse videatur,etsi Rom.pōtifici detrahere in animo haberent, has nugas in historijs, vbi veritas facti requiritur, inserere, quæ sine Rom. pontificū scitu & autoritate,sed sensim ab ipsis Imperatorib.extortę per manus posteris traditæ sunt,quo in eorū imperijs aliqua distintio esset, ad eorum maiestatem

augendā

augendã. Sic apud veteres obseruari videmus: nõ enim omnes Augusti, sed multi tãtum Cæsares fuerunt. Quæ discrimina ab ipsismet (vt dixi) ad ipsius Imperij decus augendũ excogitata sunt. Eos itaq; ea ratione, & ijs numerorũ notis appellabimus, quibus ipsi se ipsos, & à suorũ tẽporum grauissimis scriptorib. nominatos cõperimus. Quãquã non abnuerim, regnũ Germanię, post trium tamen Othonũ, & quatuor Heinricorũ tempora Imperiũ hac ratione dici posse, quòd iã vsu cõfirmatũ esset, Impatorẽ nõ nisi ex Germanorũ rege eligi. Quẽ etiã pea potissimũ tẽpora ante coronationẽ Rom. Pont. Impatorẽ etiã aliquando à scriptorib. tamen appellatũ fuisse legi: quod cũ Germaniæ rex renuntiatus sit, ad eum solũ spectant Imperij iura, neq; aliũ præter eum à Rom. Pont. cõsecrari mos sit, eaq; iura habent in Germania, ac si Rom. Pont. consecrationẽ adepti essent. Prima enim Germanię principũ electio est, quæ Imperatorẽ reipsa facit: Pontificis vero inauguratio est, quæ eũ Imperatorẽ rite renuntiatũ fuisse, Imperioq; dignum declarat, atq; ei speciosa Imperatoris & Augusti nomina indidit. Sed me à priore proposito satis digressum, rex Germaniæ Cunradus quem primum dicunt, monet, vt ad rẽ reuertar atq; de eo verba faciã, qui primus

regū Germaniæ fuit(ex quib. postea Impa. tores prodiere) qui puræ electionis iure regnū Germanicū adeptus sit, quum nihil ad mortuū regē Ludouicū IIII, cognationis ratione attineret. Prima igitur sola & pura electio in regno Germaniæ fuit Chunradi ipsius, alieni omnino ab Impatorio Caroli M. stemmate; qui Ludouico IIII sine liberis vita functo, cōsensu & lectione regni optimatum Frācorū, Saxonū, Bauarorū, Thuringorū, Alemānorū, & cœterorū Germaniæ principū suffectus fuit, quū tamen multū præ cæteris principib. ius ante in imperio habuisset. nā etsi principū voluntas in superiorū Impp. comitijs accesserit, ea tamē cōsensus quidā potius quàm electio dici debuit: cū ex Caroli M. & Ludouici Pij Impp. hæreditati, à quib. Imperiū partū fuerat, imperarint. Verum eo stēmate deficiente, quod vnū ius in Imperio hæreditatis ratione habebat, quū à gente Imperatoria alieni in regnū succesſissent, tū primū ea Imperij comitia sola principū electione fieri cœpta sunt qualia fuerūt in Cunrado I successore Luduici IIII. Eadē quoq; ratione, mortuo Cunrado, iterū mera principū electione Heinricus cognomine Auceps, Saxonię dux, rex Germanorū salutatus est: quē etsi regni ꝓceres pręcipuè ob Cunradi defuncti cōmendationem regem

creassent,

creafsét, nihilominus libera comitia dici debét, cũ nullius vi (vt id agerent) coacti sint, & cũ ipse quoq; ob Cũnradi cõmendationẽ supra cæteros multũ haberet in Imperio iuris. Post Heinricum ipsum omnes deinceps Germaniæ reges, qui etiã Imperatores vel designati, vel coronati fuerunt, nõ amplius p successionẽ, sed ex principũ suffragijs ad Imperij fastigium euecti sunt. Quæ electio deinceps duplex fuit: aut omnino libera, aut coacta. Libera fuit electio, quæ habebatur, cum Impp. sine legitimo hærede moriẽtes, nullũ Imperij successorẽ ante obitũ designassent: vti fuerunt comitia Heinrici I Saxonis, & Cunradi I Franci, Lotharij II Saxonis, Cunradi II Sueui, Friderici I Aenobardi, Philippi Sueui, Othonis IIII Saxonis Henrici Lantgrauij Thuringiæ, Guillelmi comitis Hollandiæ, Rodulphi, Adolphi, Albertorũ I & II, Heinrici VI, Ludouici IIII Bauari, Caroli IIII Bohemi, Ruperti Bauari, Sigismundi, Friderici III, & nouissimè Caroli V Imperatorũ, qui absq; prædecessorũ suorum volũtate Imperatores liberè ab ijs qui ius eligendi habebant renuntiati sunt. Electio verò non adeo libera, sed quasi coacta est, quum Imperator se viuo, more veterum principum Romanorum, Imperij successorem disignare facit. Conuocatis enim

Imperij Romani Electoribus, quempiá vel filium vel fratrem suos eligere, se præsente procurat, in Rom. & Germaniæ regem, qui gradus proximus est ad supremum Imperij fastigium: quę suffragia nõ adeo libera sunt, quum multa, immo ferè omnia in gratiam Imperatoris fiant. Atq; hac ratione tres Othones priores, quatuor Henrici II, III, IIII, & VI. Fridericus II, Venceslaus, Maximilianus, & nouissimê Ferdinandus Cæsar creati sunt. Qui viuentibus prædecessorib. suis Imperij successores designati fuerunt; & in Germaniæ reges inuncti.

Hæc nũc de electione & electoribus Imperatorum dixisse sufficiat, ad redarguenda paparum figmenta, qui nusquam non suam tyrannidem omnigenis fraudibus, in extremam oppresionem, ruinamq; Ecclesiæ ac politiarum prouehere, constabilire & augere conatur.

Hactenus, Spiritum Domini nos in omnẽ veritatem manuducente, & dolos fraudesq; Antichristi, eiusq; symmistarum patefaciente, ostendimus veram translationẽ aut etiam cõmunicationem Rom. Imperij in Germanos factam, qua etiam nunc Dei beneficio fruuntur, & simul, & contra recepta historicorum clericorumq; figmenta probaui, nec translationem Imperij, nec ius

electorum

electorum eis Papæ beneficio contigisse.
Quàm verò hoc vtile sit certo nosse compertúq; habere tum omnes christianos tum præsertim Germanos ac imprimis sacrosancti Rom. Imperij ordines dici nunquá satis potest. Norunt veró id ij potissimũ, qui horum 500 aut 600 annorũ historias legerunt & simul experti sunt, quàm varijs modis ac rationibus Papa sacrosancti Rom. Imperij iura, sub prætextu donatæ á se illis tantę dignitatis, opprimat, & imprimis afflictá Germaniá affligat, diuexet, excoriet, nõ tantum in spiritualib. sed etiam simul in politicis. Quorum importabiliũ onerũ aliquis quasi index in eo libello monstratus est, quẽ Illustrissimi ordines sacri Rom. Imperij in comitijs Norinbergensib. anno 1523. Papæ Adriani legato sub titulo Centum grauaminum obtulerunt. Quem omnes publici boni amantes, præsertimq; gubernatores perpetuo in manibus habere, & in cômunibus etiam deliberationibus tractare, admiscereq; consultationib. & cogitationibus suis deberent. Quorum importabiliũ Antichristi onerũ amolitionem vtiná hodie quoq; cõstanter summoq; zelo vrgerent. Optarim verò toto pectore eam mihi, tum gratiá & authoritatem apud multos esse, tum etiam facundiam, qua pro tantæ rei magnitudine & cõ-

mendarem hanc maximè neceſſariā veritatis cognitionem, & ſimul excitare omnium pectora nō ſolùm ad penitus perueſtigandā eam, ſed etiam multo magis ad vtendū ea in praxi promouendi publici boni, excutiēdęq; tyrannidis Pontificiæ, eiusq; paraſytorū & augendæ illuſtrandæq; libertatis politiæ ac Eccleſiæ Germaniæ. Verùm cum hiſce omnibus deſtituar, vt plerumq; accidit cōtēptiſsimis & extremè exoſis mundo Chriſti præconibus, oro filium Dei qui ex ore infantium & lactentiū virtutem, regnumq; ac gloriā ſuam illuſtrat, & per eos Satanā, Antichriſtum & mundum expugnat, vt ipſe velit excitare ac inflāmare plurimorū hominium corda ad promouēdum in hac quoq; parte publicum bonum, & imminuendā ſui atrociſsimi hoſtis & primarij Satanæ miniſtri, qui ſe ſupra omnia extollit, & omnes ſuas tum Spirtuales tum ciuiles quoq; ordinationes & magiſtratus pedibus cōculcat, tyrannidem, Amen. Dicet omnis verè pius Amen.

APPEN-

APPENDIX VARIORVM *testimoniorum ad totam hanc tractae tionem pertinentium,*

Caput VI.

APpendicis loco, ad hanc tractationẽ de translatione Imperij, adijciã quędam scripta huic negotio cõuenientia, quo tota hęc cõtrouersia tanto magis illustretur. Primum igitur locum obtinebit prolixa assertio cardinalis Cusani ex libro de Cõcordãtia catholica, vbi hoc ipsum ex professo agit, vt ostẽdat imperiũ nõ esse trãslatũ per Papas, quam suprà me ascripturum promiserã. Secundo loco ponã Decretalem Venerabilẽ, in qua papa Innocentius III, tũ Electorũ vetustatem ac originẽ satis recte testatur, tum verò suã istam translationẽ falso narrat: quandoquidẽ ea decretalis multũ in hac cõtrouersia à scriptorib. citatur. Tertio Epistolam Friderici primi & porrò denũciationẽ Henrici V. Quarto ponã Ludouici Imperatoris ac duci Bauariæ adsertionẽ simul, & decretũ grauissimum de cõsensu omniũ principũ ac statuũ editum; quo decernitur, Imperij dignitatẽ ac potestatem nõ à Papa, sed à solo Deo pẽdere. Postremò etiã quędam priuilegia Imperialia. Caput. III, libri 3 de Cõcordãtia catholica. Quòd Imperiũ nõ fuit de Gręcis translatũ per Papam in Germanos vel Francos, licet patritij Rom.

ſeu etiá Imperatores dicerentur, ſicut Heinricus IIII. in generali Baſilienſi concilio coronatus, patritius dicebatur.

Verùm adhuc volunt quidam, & eſt opinio vulgatiſsima, Imperiũ tranſlatũ in Germanos per Adrianũ, in perſonam Caroli M. iuxta ea quæ Innocentius III dicit in C. venerabilé de Elect. ſed fator me nunquá in antiquis approbatis libris hoc legiſſe, licet Stephanus II vnxerit Pipinũ, & eius duos filios in reges, nõ tamen habetur de Imperij tranſlatione. Verũ quòd Carolus in textibus certi decreti ac etiam geſtis Adriani, patritius Rom. vocatur: poſtquá enim dono Pipini patris Caroli, ad ius & proprietatem ſancti Petri deuenerunt, ciuitates & loca ibi in geſtis Stephani Secundi nominata, quæ poſtea aucta ſunt, quia plures ciuitates, ſe ipſas dederunt iuri SanctiPetri, & tonſi ſunt ciues illorũ more Rom. & c. Tunc opus erat in illis omnibus locis defenſore & patricio; & deputatus fuit Carolus M. pro patricio, vt habetur 63 diſt. cap. Adrianus. Vbi ipſe rex Franciæ & Longobardorũ nominatur, & habebatur patricius: quoniá pater patriæ curam iudicij téporalis & pręfuit in tẽporalibus, Papa ſe de ipſis minime intromittente. Imo patricius ſecundũ glos. antiquá in Cap. Adrianus 63 diſtinct. pater Papæ

in tẽ-

in tẽporalibus fuit. Sicut Papa in spiritualibus eius pater. Patritij dicti, quia ipsi vt patres filijs, reip. prouidebãt, Isidor. 9. Etym. Et solebant coronati Imperatores patritij nominari, vt legitur de Heinrico IIII. qui fuit anno Christi 1061. quoniã mortuo Nicolao II, Romani coronã eidem miserunt & pro eligendo pontifice interpellauerũt: qui vocatis plerisq; Italiæ Episcopis, generaliq; conuentu Basileæ habito, eadem imposita corona patritius Rõm. appellatus est. Vbi cõmuni omnium consilio Rom. legatis eligentibus, Cadelo Parmensis presul 7 Calen. Nouemb. Papa declaratur, qui & Honorius appellabatur. Sed Anselmus quidã Episcopus Lucę ciuitatis Tusciæ, qui Alexãder nominabatur, à certis Rom. & Normãnis prælectus 27. diebus Cathedram occupauit vsq; ad mortem, cui successit Hildebrãndus, qui & Gregorius VII, qui Heinricũ Imperatorẽ excõmunicauit. Vnde hodiernũ concilium distans 372 annis, ab illo Basileæ 1433 anno, celebratur, cuius tẽpore serenissimus Sigismundus, Romæ ab Eugenio Imperiali diademate insignitus, & cõcilio vt ipse Heinricus, & cæteri catholici Imperatores, interest. Sunt verò nunc anni præcisè 500, quibus per Heinricũ primũ patrẽ Othonis primi, ipsa Basilea ciuitas, & regalis ciuitas, de-

ſtructa magna Auguſta, quæ nõ multũ diſtãter ſita erat, p Vngaros funditus ędificata & in Eccleſijs fundata fuit. De hoc nõ plura redeundo ad primũ, admittendo ea quæ de patriciatu Caroli dicta ſunt, non ſequitur, quòd ea ꝓpter, fuit de Gręcis Imperiũ trãslatũ, imo in geſtis octaui Conſtãtinopolitani cõcilij manifeſtè apparet, ac etiã poſt hoc vſq; ad Othonẽ primum, quod Rom. pont. Nicolaus primus, Adrianus II recognoſcũt Baſilium Imperatorẽ, qui illam Synodũ cõuocauit, ac filios ſuos, ac Leonem poſt hæc Imperatores Rom. & nõ inuenitur in ipſis hiſtorijs veris Carolum nominatum Imperatorem, ſed Regem & patritium Rom. licet quędam hiſtoriæ habeant, ipſum in fine vitę quaſi Auguſti nomen à pop. Romano recepiſſe, & etiam poſt eius mortem Imp. nominetur aliquando, vt 15. q. 6. alius. Ego enim Colonię in maiore eccleſia volumen ingẽs omnium miſsiuarũ Adriani primi ad Carolum, & ipſius Caroli reſpõſiones, & inſuper copias omnium bullarum vidi, & fateor me nunquam tranſlationem legiſſe iſtam, tamẽ imperij nomen multum lego cõmune antiquitus fuiſſe. Vocatur enim Imperator electus per exercitum, vt dicit Sanctus Hyeronimus 93. diſt. legimus, & maximè in hiſtorijs reges Italiæ, Imperatores fuiſſe legũtur

tur. Sicut etiam legi Berengarium Imperatorem nominatum & alios multos. Etiam Ludouicus Pius Rex Franciæ legitur Imperator 63. dist. Ego Ludouicus. & 4. dist. C. de capitulis probatur Lotharium, Imperatorem, & pontificem nominari: & similiter de Ludouico patet ibidem, vnde si omnia benè resoluuntur, qui imperare habebant, maximè in Italia, Imperatores vocari aut reges solebant. Scimus deinde, quomodo post mortem Conradi regis defecit illa succesio regum à Pipino & Carolo, & quomodo de ordinatione & suasu ipsius Cōradi, iam in vltimis agentis, Heinricus dux Saxoniæ in regē electus est, & ad eum insignia regia Conradi delata sunt. Ac insuper scimus, quomodo regnū per succesionē in Othonem I II & III deuenerit, & tum tēpore Heinrici & Othonis I maximæ diuisiones & bella in Italia, & hinc inde per mundū fuerunt, & quomodo, iam ille iamiste, iā Arnolphus, post Berengarius, & tunc Hugo tunc Albericus inter se bella habuere. Hugo enim Rex Romā & cęteras vicinas regiones diu sub se habuit, deinde expulsus, Albericus eádem Rom. ciuitatem occupauit, & de similibus multa & varia videre posset, qui legeret historiā Luitprādi diaconi Ticinēsis Ecclesię ad Raimundū Hispaniæ prouincię

LiberitanumEpiſcopum,qui fuit in Cancel laria Berengarij:quoniam,quod à tépore Ba ſilij Imp. Conſtantini eius filij,& huius filij Leonis,& à Carolo Caluo vſque ad Othonē I, hinc inde in Europa actum eſt,diſertè ſcripſit & verè vt creditur, quia tunc multis arduis idem ipſe interfuit. Vnde ſi cuncta reſoluis,tunc ab Heinrico I Alemanni per potentias armorũ & maximè per I Othonē regnũ Italię & vrbis Romæ regni Arelatenſis,ac ipſius Alemannię dominia acquiſierunt; & ex tunc nominati ſunt Imperatores poſtquã Berengarius, Hugo, Arnolphus,& Albericus defecere. Quomodo autē vrbis Romanæ ac Italiæ dominiũ per Othonem Romanis deſiderantibus, armis acquiſitũ fuerit, longum nimis foret enarrare, & miror multum quòd Gratianus 63 diſtinct. in Synodo, loquens de inueſtituris Epiſcoporum, qui textus Othonem probat Imperatorem & Regem Italiæ & Theutonicorum,non poſuit illam reſtitutionis ciuitatũ quondam donatarũ Rom. Eccleſię, & quia tenuit tale dominiũ vrbis Rom. & Italię, Otho Imperator nominatus eſt ipſe & omnes eius ſucceſſores,licet dominiũ vrbis & ciuitatũ donatarũ,quondã per Pipinũ & Carolũ & poſt hos p alios reges 63 diſt, Ego Ludouicus. Et ſine dubio aliquid ſibi reſtituētes

Eccleſiæ

Ecclesiæ reseruarunt, ratione cuius vltra regium nomen imperij nomine ad modū priscorum decorantur. Sicut quondam Carolus Magnus patriciatum; & vocatur aduocatia in Cap. Venerabilem de Elect: Si enim in homines subiectos Ecclesiæ, imperator nihil imperij haberet, quomodo posset ipse per cohercionem ipsos ad obediētiam iuris S. Petri arctare? Et quomodo iure S. Petri posset sicut iurat Apostolico, cōseruare 63. dist. tibi Domino. Sed extendere me, pro nunc, nolo in istis, quia præsentis speculationis non sunt, sufficit præfata tetigisse. Hactenus Cusanus.

Promiseram secundo loco in Appendice sequturū Decretale Venerabilem, quia multū citetur ab autoribus. Ea verò rectè narrat tum vetustatem Electorum tum etiam originem, quòd videlicet veniat ex veteri consuetudine & ipsa acquisitione Imperij à Carolo Magno facta: sed falsò narrat illā acquisitionē Imperij occidentalis ex suo dono aut beneficio Carolo Francorumq; regibus cōtigisse: Quòd figmentum satis validè confutatum est. Verùm iam ipsam Decretalem adijciamus

DECRETALIS, VENERAbilem, integrè ex Decretalibus Innocentij III. à Petro Beneuentano eius ſubdiacono & Notario collectis, deſcripta, quæ alioqui in Gregorianis mutilatè habetur.

VENErabilem fratrem noſtrum Salzburgenſem archiepiſcopum & dilectiſsimum fratrem abbatē de Salis: & nobilem virum marchionem orientalem, quorundam principum nuntios ad Apoſtolicam ſedem deſtinatos, benignè recepimus, & eis beneuolam duximus audientiam indulgēdam. Literas quoq; quas per eos quidā nobis principes deſtinarunt, diligenter perlegi fecimus, & quæ continebantur in eis notauimus vniuerſa.

Inter cœtera verò, quæ dicti principes per eaſdem nobis literas intimarunt, hac præcipuè obiectione ſunt vſi, dicentes, qđ venerabilis frater noſter Præneſtinus epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, aut electoris geſsit, aut cognitoris perſonam: Si electoris, in alienam meſſem miſerit falcem ſuam, & electioni ſe ingerens principum derogauerit dignitati. Si cognitoris, abſente altera partium uidetur perperam proceſsiſſe, cum ea citata non fuerit, & ideo

ideo non debuit contumax iudicari.

Verùm nos, qui ſedis Apoſtolicæ ſeruitutis officium ſumus ſingulis in iuſtitia ſua debitores, ſicut iuſtitiam noſtram ab alijs nolumus uſurpari, ſic ius principum nobis nolumus vendicare. Verùm illis principib, ius & poteſtatem eligendi regem, Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus vt debemus, ad quos de iure ab antiqua conſuetudine noſcitur pertinere: præſertim cum ad eos ius & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenit, quæ Romanum imperium in perſona Caroli Magni à Græcis tranſtulit in Germanos.

Sed & principes recognoſcere debent, quod vtiq; recognoſcunt, ſicut ijdem in noſtra recognouerunt præſentia, quòd ius & autoritas examinandi perſonam electam in regem, & promouendam ad Imperium ad nos ſpectat, qui eam inungimus, conſecramus, & coronamus. Eſt enim regulariter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonę pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim ſi principes non ſolum in diſcrodia ſed etiam in concordia ſacrilegium quenquam, vel excommunicatum tyrannum, vel fatuum, hæreticum elegerint, aut paganum, in regem nos inungere, conſecrare aut coronare hominem huiuſmodi

deberemus? Absit omnino.

Objectioni ergo principum respondentes asserimus, quod legatus noster episcopus Prænestinus approbando chariss. in Christo filium nostrum, regem Otthonem & reprobando Philippum ducem Suauiæ, nec electoris gessit personam, iuxta quod nobis per literas suas quidam principũ opponebant, vtpote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit, & sic electioni se nequaquam ingessit. Nec cognitoris personã exhibuit, cum neutrius electionem, quoad factum eligentium, confirmandam duxit aut etiam infirmandam. Et sic ius sibi principum nullatenus vsurpauit, aut venit contra illud. Exercuit autem denunciatoris, quia personam ducis eiusdem indignam & personam regis denunciauit idoneam, quo ad imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electorum; quamuis plures ex ILLIS, QVI eligendi regem in Imperatorem promouẽdum de iure ac consuetudine obtinent Potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum regem Otthonem, & ex eo, quòd fautores Philippi absentib. alijs & contenptis, ipsum eligere præsumpserunt, pateat eos perperã processisse, cum explorati i t iuris, quòd electione plus contemptus vnius quàm cõtradictio

dictio multorum obsistat. Vnde priuilegiũ meruerunt amittere, quòd permissa sibi ab usi sunt potestate. Videri non immeritò potest, quòd iniuria huius nõ obstante, cæteri vti poterant iure suo; & quoniam dux prędictus nec vbi debuit, nec à quo debuit coronam & vnctionem accipit, memoratus verò rex & vbi debuit, videlicet Aquisgrani, & à quo debuit, scilicet à venerabili fratre vestro Coloniensi Archiepiscopo recepit vtrumq;.

Nos igitur vtiq; non Philippum, sed Otthonem reputamus & nominamus regem iustitia exigente. In reprobatione verò præfata, Philippi ducis Suauiæ propter manifesta impedimenta personæ non accusatione sed condemmatione potius fuit opus, quia non accusatione, sed condemmatione indigent manifesta: quòd autem cum in electione vota principum diuiduntur, post admonitionem & expectationem, alteri partium fauere possimus, maximè postquam à nobis vnctio, consecratio & coronatio postulantur, sicut vtraq; pars à nobis multoties postulauit, ex iure patet pariter & exemplo. Numquid enim SI principes admoniti & expectati, vel nõ potuerint vel non voluerint in vnum propositum conuenire, Apostolica sedes aduocato & defensore ca-

rebit,eorũq; culpa ipſi redũdabit in pœnã.

Sciunt autem principes,& tua nobilitas non ignorat,quòd cum Lotharius & Conradus in diſcordia fuiſſent electi,Romanus pontifex Lotharium coronauit, & imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad eius gratiam redeũte. Nos igitur per nuntios principum memoratos eos duximus commonendos,vt ſicut nos à iuris ipſorum ceſſauimus iniuria,ſic ipſi cõtra in ius noſtrum ſe nequaquã iniurioſos oſtendant,ſed à prȩfato duce, iuſto quidẽ à nobis iudicio reprobato recedant, & prȩfato regi Otthoni non abnuant adhærere, niſi tunc demum,cum contra perſonam vel factum legitimum quid ab eis obiectum fuerit,eſt oſtenſum.

Sunt enim notoria impedimenta ducis Suauiæ, ſcilicet excommunicatio publica, periurium manifeſtum,& perſequutio diuulgata,quam progenitores eius & ipſe prȩſumpſerunt in Apoſtolicam ſedem, & alias Eccleſias exercere.Fuit enim à bonȩ memoriæ prædeceſſore noſtro propter inuaſionẽ & deuaſtationem patrimonij B.Petri,commonitione ſæpe prȩmiſſa,publicè ac ſolenniter excommunicationis vinculo innodatus,cũ in Tuſcia moraretur,quod ipſe poſtmodum recognouit,dum per nuntium ſuũ

ab

ab ipſo præceſſore noſtro abſolutionis beneficium poſtulauit, & poſtmodum à tunc Sutrino epiſcopo, quẽ cũ abbate ſancti Anaſtaſij pro liberatione venerabilis fratris noſtri Salernitani Archiepiſcopi nos in Teutoniam miſeramus, contra formam mandati noſtri de facto ſolummodo, quia de iure non potuit, poſt ſuam electionem apud Vormaciam occultè fecit ſe abſolui. Vnde patet, quòd ipſe fuit excommunicatus electus, & videtur non immeritò, quòd adhuc ſit ex eadem cauſa excommunicationis ſententia innodatus, cum prędictus epiſcopus eum autoritate ſua non poſsit abſoluere: autoritate verò noſtræ delegationis nec plus nec aliter liceret hoc ipſi, quàm ei fuerat ab Apoſtolica ſede conceſſum.

Ex eo etiam excommunicationis ſententiæ ſubiacere creditur manifeſtè, quòd cum perfidus Marquardus Dei & Eccleſię inimicus, cum vniuerſis fautoribus, tam teutonicis quàm Latinis excommunis vulgate vinculis ſuæ iniquitatis meritò ſit aſtrictus, ſicut iam vobis per litteras noſtras directas per Petrum Iudicem ipſius Philippi nuntiũ intimaſſe meminimus, quas ad ipſius Philippi audientiam credimus perueniſſe: nihilominus quamuis id non tantùm ex relatione ipſius Iudicis, ſed & per publicam famã

ad notitiam eius deuenerunt, eidem excõmunicato nõ solum communicat, sed eum in malitia sua fouet, & per nũtios & litteras suas exacuit furorem ipsius, vt charissimũ nostrum in Christo filium Siciliæ regem, illustrem nepotem eius, quem iam hæreditate paterna præualuit, adhuc priuet possessione materna.

Idem etiam contra proprium iuramentũ, super quo nec consilium à sede Apostolica requisiuit, ambitionis vitio regnum sibi vsurpare præsumpsit, non alium causa necessitatis in regem eligere, quòd vtrumq; tolerabilius uideretur, cum super illo iuramẽto sedes Apostolica prius consuli debuisset, sicut & eam quidam consul uerè prudenter, apud quam ex institutione diuina plenitudo residet potestatis.

Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si iuramẽtum illud dicatur illicitum, cum nihilominus super eo nos consulere debuisset, quàm contra ipsum propria temeritate venire: illo præsertim exemplo, quòd cum Gabaonitæ à filijs Israel per fraudem surripuerunt iuramentum, ipsi tamen cognita fraude, noluerunt contra illud sua temeritate venire.

Vtrum verò dictum iuramentum licitũ sit an illicitum, & ideo seruandum aut non seruan

ſeruandum extiterit, nemo ſanæ mentis ignorat ad noſtrum iudicium pertinere.

Quod autem Philippus de genere perſequutorum exiſtat, principes non credimus dubitare, cum Henricus, qui primus imperium de genere hoc accepit, Paſchalē Papam præceſſorem noſtrum cum epiſcopis & cardinalibus multis Romanorū præſumpſerit captiuare. Fredericus verò pater ipſius Philippi cōtra Roman. Alex. præceſs. noſtrum longo tempore ſciſma fouit. Henricus frater ipſius Philippi qualiter ſe habuerit circa interfectores ſanctæ memoriæ Leodienſis epiſcopi, quem ipſe prius coegerat exulare, ac Conradū qui Hoſtien. epiſcopū ceperat, ſatis noſtis, qui & qualiter venerabilē fratrem noſtrum Auximanum epiſcopum alapis cedi fecerit, & pilos de barba eius auelli, & tractari eum in pluribus inhoneſtè: qualiter quoq; quoſdam familiares Eccleſiæ Romanæ naſo fecerit mutilari, qualiter prædictum Salernitanū Archiepiſcopum captiuarit, & quoſdam viros Eccleſiaſticos flammis torreri fecerit, quoſdā verò viros in mari ſubmergi, ad tuā & aliorum principum credimus audientiam perueniſſe.

Inſuper ſi prædictus dux (quod abſit) imperium obtineret, libertas principū in ele-

ctione periret, & imperij obtinendi de cęte ro cæteris fiducia tolleretur. Nam si prout olim Fredericus Cõrado, vel Henricus post modũ Frederico: sic nũc ille Fredericus Philippo, vel Philippus Henrico succederet, videretur imperium non ex electione, sed ex successione deberi. Præterea cũ multi principum ex imperio æquè sint nobiles & potentes, in eorũ præiudicium redundaret, si non nisi de domo ducum Suauiæ uideretur aliquis ad imperium assumendus.

Cum ergo nos flecti à nostro proposito nulla penitus occasione possimus, sed in eo potius firmissimè ꝑsistamus, & tu nobis sępè per litteras tuas duxeris suggerendum, vt eidem duci nullatenus faueremus, nos te monemus, & exhortamur in Domino & ꝑ Apostolicæ sedis mãdata, quatenus, sicut de gratia nostra cõfidis, & nos de tua deuotione speramus, de cœtero à præfato duce Philippo recedas omnino, non obstante iuramento, si quod ei ratione regni fecisti, cũ eo (quantum ad obtinendum imperium reprobato) iuramentum huiusmodi non debeat obseruari, prędicto verò regi Otthoni, quem nos concedente Domino ad coronã imperij disponimus euocare, patẽter adhęreas, & potenter: vt cum ei ad cõmonitionẽ nostrã adhæseris, inter primos gratiam & beneuo-

beneuolentiam eius obtinere pręcipuè me rearis, ad quod pro tuæ nobilitatis amore dabimus operam efficacem. Hactenus Decretalis.

Falsò verò id sibi sumit pontifex, suum esse examinare & confirmare Cæsares; eosq́; non prius verè Imperatores esse, quàm à se inungantur. Quo enim iure id haberet pontifex? nempe ex mendacio factæ translationis Imperij. Mendacia ergo mendacijs probantur & stabiliuntur. Imò illud verius est, antiquitus, per plurima secula tum Cōstātinopolitanos tum etiam Francicos ac Germanicos Imperatores habuisse ius examinandi & confirmandi, atq; adeo etiam creandi Papas, vt ex omnibus historicis patet, quorum testimoniorum aliquam summam clarissimus & doctissimus vir D. Simon Schardius illustrissimi principis wolfgangi Palatini consiliarius fecit, ac edidit. Adscripsi quoque supra locum Onuphrij, qui prolixè ostēdit Cæsares sua spōte ac pro arbitrio vsos nominib. regis ac Imperatoris, non ex aliquo mandato aut iure pontificis eiusue inunctionis.

Sub finem huius appendicis adijciam trium glorisissimorum Imperatorum testimonia, aut ceu protestationes, quibus grauissimè protestantur Germanos eorumq́; Impe

ratores nequaquam ex beneficio Paparum Imperialem dignitatem possidere. Quorũ primum erit Friderici primi cognomento Barbarossæ, secundum Henrici V. postremum Ludouici IIII. ex nobilissima principum Bauaricorum familia. Ex Radeuici Frisingensis lib. 3. cap. 10.

Qualiter Imperator talem legationem Papæ grauiter tulerit & literæ per ambitum imperij super hoc directæ.

Talibus literis lectis, & per Reinaldũm Cancellarium fida satis interpretatione diligenter expositis, magna principes, qui aderant, indignatione cõmoti sunt. quia tota literarum continentia nõ parum acredinis habere, & occasionem futuri mali iamiam fronte sua præferre videbatur. Præcipuè tamẽ vniuersos accenderat, quòd in præmissis literis inter cœtera dictum fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Romano põtifice collatam, & insigne imperialis coronæ de manu eius Imperato suscepisse. nec ipsum pœnitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset. habita cõsideratione quanta Ecclesiæ Romanæ per ipsum possent incrementa & commoda prouenire. Atq; ad horum verborum strictam expositionem, ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quod à nonnul

lis

lis Romanorum temerè affirmari nouerãt, imperium vrbis, & regnum Italicum donatione põtificũ reges noſtros hactenus poſſe diſſe, idq́; non ſolũ dictis, ſed & ſcriptis, atq; picturis repræſentare, & ad poſteros tranſmittere. Vnde de Imperatore Lothario in palatio Lateranenſi ſup huiuſmodi picturá ſcriptũ eſt. Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores. Pòſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam. Talis pictura talisq́; ſu perſcripto principi, quando alio anno circa vrbem fuerat, per fideles imperij delata cũ vehementer diſplicuiſſet, amica prius inuectione præcedente, laudamentũ à Papa Adriano accepiſſe memoratur, vt & Scriptura pariter atq; pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res ſummis in orbe viris litigandi & diſcordandi præbere poſſet materiam. His omnibus in vnum collatis, cum ſtrepitus & turba inter optimates regni de tã inſolita legatione magis ac magis iuualeſceret, quaſi gladium igni adderet, dixiſſe ferunt vnum de legatis. A quo ergo habet, ſi à Domino Papa nõ habet imperium? Ob hoc dictum eo proceſsit iracundia, vt vnus eorum, videlicet Ottho Palatinus comes de Baioaria, vt dicebatur, propè exerto gladio ceruici illius mortẽ intentaret. At Fridericus præſentiæ ſuę auctoritatę interpoſita,

tumultũ quidem compeſcuit, ipſos autem legatos ſecuritate donatos, ad habitacula deduci, ac primo mane via ſua proficiſci prę cepit. addens in mandatis, ne hac, vel illac in territorijs epiſcoproũ, ſeu abbatum vagarentur, ſed recta via, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinantes, reuerterentur ad Vrbem. Ipſis itaq; ſine efficacia reuertẽtib. id quod factum fuerat ab Imperatore per vniuerſum regni ambitũ prouidè literis declaratur. quarum hic tenor fuit.

Cum diuiua potentia, à qua omnis poteſtas in cœlo & in terra, nobis Chriſtus eius regnum & imperiũ regendum cõmiſerit, & pacem Eccleſiarum imperalibus armis cõſeruandam ordinauerit, non ſine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni veſtræ, quòd à capite S. Eccleſiæ, cui Chriſtus pacis ac dilectionis ſuę caracterem impreſsit, cauſæ diſſenſionum, ſeminariũ malorum, peſtiferi morbi venenum manare videntur. De quibus, niſi deus auertat, totũ corpus Eccleſiæ commaculari, unitatẽ ſcindi, inter regnum & ſacerdotium ſchiſma fieri pertimeſcimus. Cum enim nuper in curia Biſuntij eſſemus, & de honore imperij, & ſalute Eccleſiarum debita ſolicitudine tractaremus, venerunt legati Apoſtolici, aſſarentes ſe talem legationem noſtræ afferre maieſtati,

iestati, vnde honor imperij non paruũ accipere deberet incrementum. Quos cum prima die aduentus sui honorificè suscepissemus, & secunda (vt mos est) ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiæ, de fastu arrogãtię, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem apostolicis literis conscriptam nobis præsentauerunt. quarum tenor talis erat. Quare prę oculis mentis semper deberemus habere qualiter Dominus Papa insigne imperialis coronæ nobis contulerit, neque tamẽ pœnitentia moueretur, si maiora excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quam vnitatem Ecclesię & imperij confouere debuit, quæ vinculo pacis vtrumq; colligare studuit, quæ ad vtriusq; cõcordiam & obedientiam animos allexit. Certè ad uocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non solùm imperialis maiestas debitam indignationem cõcepit, verùm omnes principes qui aderant, tanto furore & ira sunt repleti, quòd sine dubio illos duos iniquos præsbyteros mortis sententia damnassent, nisi hoc nostra intercepisset præsentia. Porrò quia multa paria literarũ apud eos reperta sunt, & schedulæ

ſigillatæ ad arbitrium eorum adhuc ſcriben dæ, quibus ſicut hactenus conſuetudinis eorum fuit, per ſingulas Eccleſias teutonici regni conceptum iniquitatis ſuæ virus reſpergere, altaria denudare, vaſa domus Dei aſportare, cruces excoriare nitebantur, ne vltra procedendi facultas eis daretur, eadẽ qua venerant via ad vrbem eos redire fecimus. Cumq; per electionem principum à ſolo Deo regnum & imperium noſtrum ſit, qui in paſsione Chriſti filij ſui duobus gladijs neceſſarijs regendum orbem ſubiecit. Cumq; Petrus apoſtolus hac doctrina mũdum informauerit, Deum timete, regem honorificate, quicunq; nos imperialẽ coronam pro beneficio à Domino Papa ſuſcepiſſe dixerit, diuinę inſtitutioni, & doctrinę Petri contrarius eſt, & mendacij reus erit. Quia verò hactenus honorem, ac libertatẽ Eccleſiarum quæ iamdiu indebitæ ſeruitutis iugo depreſſa eſt, à manu Ægyptiorum ſtuduimus eripere, & omnia eis dignitatũ ſuarum iura conſeruare intendimus, vniuerſitatem veſtram ſuper tanta ignominia nobis & imperio condolere rogamus, ſperantes ne honorem imperij, qui à conſtitutione vrbis, & Chriſtianæ religionis inſtitutione ad veſtra vſq; tempora glorioſius & imminutus extitit, fidei veſtræ indiuiſa ſint

ſinceritas

ſinceritas tam inaudita nouitate, tá prǽſumtuoſa elatione imminui patiatur, ſciens omni ambiguitate remota, quod mortis periculum antè vellemus, incurrere, quàm noſtris temporibus tantæ confuſionis opprobrium ſuſtinere.

Hanc Henrici V. & Paſchalis actionẽ & bullas ideo adſcribere volui, vt agnoſceretur, de qua re tunc litigatum ſit, nempe nõ propriè an Cæſar ſubeſſet etiam ratione Imperij Papæ, ſed an Cǽſar etiam epiſcopis deberet imperitare: ac tunc ita fuiſſe definitũ quòd quatenus epiſcopi habeant temporalia dominia, eatenus ſint Imperatori ſubiecti; quæ ſi deponerent, quatenus eſſent miniſtri Eccleſiæ non fore ſubiectos ei. Obſerua etiam conuentionẽ Papæ ac Cæſaris, atque hoc factum eſt, poſtquam iam Pontifices Henricum V. ſceleratè per infinitum & atrox ciuile bellum, & per proprij filij proditionem oppreſſerant.

Ex Dodechimi Abbatis appendice Mariani Scoti.

Anno 1110 Rex valida manu Italiam ingreditur: eius oppida, caſtella, municipia, rapina & incendio depopulauit. In eius exercitu erant 3000 armatorum militum, excepta ſeruorum ſequentiumq; multitudine: quorum non opus videtur numerum

describere. Paschalis pōtifex vniuersali collecto cōcilio Romæ, in basilica beati Petri Apostoli, præsente Henrico rege pronūciauit decretū, seq; illud cōplere velle cum iustitia & authoritate confirmauit: scilicet vt Ecclesiæ decimis & oblationibus contentæ essent. Rex verò prædia & regalia, ducatus scilicet, marchionatus, comitatus, & aduocatias, dudū à Carolo, eiusq; successoribus Christianis Imperatoribus, ecclesiæ collatas, reciperet: ea conditione, ne pontifices, regali manu, anulo & virga inuestirētur, quæ sancto spiritui auctoritatiq; sanctorum canonum cōtraria viderētur. Sed qualiter hæc gesta sint, scripta ipsius Imperatoris melius insinuabunt. Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi fidelibus Ecclesiæ. Notum esse volumus dilectioni & discretioni vestræ, ea quæ inter nos & Dominum illum Paschalem erāt, qūo incœptā tractata sint: scilicet de cōuentione inter me & ipsum, de traditione Romanorū in me & meos, vt audita intelligat, intellecta examinet, examinata dijudicet. Igitur dū in eo totus essem, vt me ad Ecclesiæ vtilitatem & ipsius uotū, si iustū esset cōponerem, cœpit exaltationē & dilatationem regni sup oēs antecessores meos promittere studebat, tñ subdolè, quo modo

modo regnum & Ecclesiam à statu suo discinderet, tractare. Qđ sic facere aggressus est. Regno quidem iam Carolo 400. & amplius annis, & sub 63. apostolicas inuestituras episcopatuum, eorundem authoritate, & priuilegiorum firmitate tenenti, absq; omni audientia auferre volebat. Et quum per nũcios nostros ab eo quęreremus, quid de nobis fieret, in quo regnum nostrũm cõstat, quandoquidem ferè omnia antecessores nostri Ecclesijs concesserunt, & tradiderunt, subiunxit: Fratres Ecclesię decimis & oblationbus suis contenti sint. Rex verò prædia & regalia, quæ à Carolo & Ludouico, Ottone & Henrico ecclesijs collata sunt, sibi & successoribus suis recipiat & detineat: ad hoc quum nostri responderent, Nos quidem nolle uiolentiam Ecclesijs inferre, nec ista subtrahendo tot sacrilegia incurrere; fiducialiter promisit, & sacramento pro eo firmauerunt dominica, Esto mihi, se omnia hæc cum iustitia & autoritate Ecclesijs auferre, nobisq; & regno cum iustitia & autoritate reddere. Nostris itidem firmantib. si hoc ita vt præmissum est, cõplesset, quod tamen nullo modo fieri posse sciebat, me quoq;, vti quærebat, inuestituras ecclesiarũ refutaturum: sicut in charta conuentionis plenius poteris videre. Hęc est charta con-

uentionis eius ad me: Dominus Papa pręcipiet episcopis præsentibus in die coronationis regis, vt dimittant regalia regno, quę ad regnum pertinebant tempore Caroli, Henrici, & aliorum prædecessorum eius, & scripto firmabit sub anathemate, ne quis eorum vel præsentium, vel absentium, vel successorũ eorũ intromittãt se vllo modo, vel inuadãt eadem regalia, i. ciuitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, aduocatias, omnia iura centurionum, i. villicorũ, turres & villas, quæ regni erant, cum omnibus pertinentijs suis, militiam & castra: nec ipse regem & regnũ super his vlterius inquietabit, & priuilegio suo sub anathemate cõfirmabit, ne posteri sui inqetare pręsumãt. Regẽ benignè & honorificè suscipiet, & more prædecessorum suorũ catholicorũ, scienter, nõ subtractu coronabit, & ad tenendũ regnum cum his omnibus, officij sui auxilio adiuuabit. Si Dominus Papa hæc regi nõ adimpleuerit, ego Petus Leonis iuro, quòd tota potentia mea tenebor ad Dominum meum regem. Obsides autem nisi effugerunt, redderemus altero die post coronationem regis. Si per Papam remanserit vt non coronetur, similiter reddemus Dominico die, quum rex ad processionem venerit, obsides dabo Gratianum

tianum filium meum, & filium Vizonis filij, & filium sororis meę, si eum habere potero. Hæc sunt sacraměta, ex parte Dñi Papę. Ego Petrus Leonis iuro vobis, quia Dñs. Papa proximo die dominico adimplebit regi, quod in charta conuentionis scriptum est. Hæc sunt sacramenta ex parte Regis. Ego comes Hermannus, ego comes Gotfridus, ego Volmarus, ego Adelbertus iuro uobis, quia Dominus rex proxima 4. vel 5. feria, ita principes iurare faciet, & obsides dabit, sicut in charta conuentionis scriptum est. Et sic obseruabunt Domino Papæ eo tenore, si Dominus Papa proximo die Dominico sic adpleuerit regi per oía, sicut in charta conuentionis scriptum est. Ego verò vt ostenderem nullá Ecclesiarum Dei disturbationem ex velle nostro procedere, in cũctorum oculis adstãtium & auribus hoc decretum promulgaui: Ego Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, affirmando & beato Petro & omnib. episcopis & abbatibus, & omnibus Ecclesijs, omnia quæ antecessores mei Reges vel etiam Imperatores ei concesserunt, vel tradiderunt. Et quæ illi pro spe æternæ retributionis obtulerunt, do. Ego peccator, pro timore terribilis iudicij vllo modo subtrahere recuso. Hoc decreto à me lecto & sub-

ſcripto, petij ab eo, vt ſicut in charta conuẽtionis eius ſcriptum eſt, mihi adimpleret. Quum ergo ſupradictæ poſtulationi inſiſterem, ſcilicet vt cum iuſtitia & autoritate ꝑmiſſa mihi conuentione, firmiter uniuerſis in faciem eius reſiſtentibus, & decreto ſuo palam hæreſim inclamantibus, ſcilicet, epiſcopis, abbatibus tam ſuis quàm noſtris, & omnibus Eccleſiæ filijs: hoc, ſi ſalua pace Eccleſiæ dici poteſt, priuilegium proferre voluit. Paſchalis epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, dilecto filio Henrico regi & eius ſucceſſorib. Imperatoribus, Et diuinæ legis inſtitutionib. ſancitum eſt, & ſacris canonib. interdictum, ne ſacerdotes curis ſecularib. occupẽtur, neúe ad comitatum, niſi pro dãnatis eruendis, atq; pro alijs qui iniuriam patiũtur, accedant. Vnde & Apoſtolus Paulus inquit: Iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituere ad iudicandum. In veſtri autẽ regni partibus, epiſcopi vel abbates adeo curis ſecularibus occupantur, vt comitatũ aſsiduè frequentare, & militiam exercere cogantur. Quæ nimirum aut vix, aut nullo modo, ſine rapinis, ſacrilegijs, incendijs, aut homicidijs exhibetur. Miniſtri verò altaris, miniſtri curiæ facti ſunt: quia ciuitates, ducatus, marchionatus, monetas, turres, & cœtera

ad

ad regni seruitium pertinentia, à regibus acceperunt. Vnde etiã mos Ecclesiæ intolerabilis inoleuit, vt electi episcopi nullo modo consecrationem acciperent, nisi prius per manum regiam inuestirentur. Aliquando etiam viuis Episcopis inuestiti sunt. His & alijs plurimis malis, quę p inuestiturã pleruq; contigerant, prædecessores nostri Gregorius octaus, & Vrbanus secundus, fœlicis memoriæ pontifices excitati, collectis frequenter episcopalibus concilijs, inuestituras illas manus laicæ damnauerunt: & si qui Clericorum per eam tenuissent Ecclesias, deponendos. Datores quoq; cõmunione priuandos percensuerunt: iuxta illud Apostolicorum canonum capitulum, quod se ita habet: Si quis episcopus seculi potestatibus vsus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, omnesq; qui illi communicant. Quorum uestigia subsequẽtes, & nos eorum sententiam episcopali cõcilio cõfirmamus. Tibi itaq; fili charissimè, Henrice Rex, & nunc per officium nostrũ Dei gratia Romanorum imperatori, & regno regalia illa dimittenda (i. reddenda) præcipimus, quæ ad regnum manifestè pertinebant tempore Caroli, Ludouici, Ottonis, & cæterorum prædecessorum tuorum: interdicimus etiam, & sub anathematis di-

ſtrictio eſt, prohibemus, ne quis epiſcoporũ ſeu abbatum præſentiũ vel futurorũ, eadem regalia inuadant, i. ciuitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, aduocatias, iura centurionum & turres quæ regni erant, cum pertinentijs ſuis, militiam & caſtra. Et ne ſe deinceps, niſi per gratiam regis de ipſis regalibus intromittat. Sed nec poſteris noſtris liceat, qui poſt nos in Apoſtolica ſede ſucceſſerunt, aut te, aut regnum ſuper hoc inquietare negocio. Porrò Eccleſias cum oblationibus & hæreditarijs poſſeſsionibus, quæ ad regnum manifeſtè nõ pertinebãt, liberas manere decreuimus, ſicut in die coronationis tuę, omnipotenti Domino, in conſpectu totius Eccleſiæ promiſiſti. Opotet enim epiſcopos curis ſecularibus expeditos, curam ſuorũ agere populorum, nec Eccleſijs ſuis abeſſe diutius. Ipſi enim iuxta Paulum apoſtolum peruigilant, tanquam rationem pro animabus eorum reddituri. De traditione verò in nos vel noſtros ſic ſe res habet. Vix portas ciuitatis ingreſsi ſumus cũ noſtris, infra muri mœnia ſecurè uagantib. quidam vulnerati, alij interfecti, omnes verò ſpoliati, aut capti ſunt; ego tamen quaſi pro leui cauſa non motus, bona & tranquilla mente vſq; ad Eccleſiæ beati Petri ianuas

uas cum processione perueni. Quod sic gestum fuisse, rei veritas multorum adstipulata testimonijs, qui interfuere, potestatur.

Post Henricum V etiam Fridericus II plurimis annis fortissimè pro imperij dignitate contra Paparum plurium execrationes & seditiones depugnauit, cuius acta & epistolæ aliqua ex parte euulgatæ sunt, plures verò nondum editæ reperiuntur. Ex illis statum & rationem illarum controuersiarum cognoscere facillimè potes.

Postremo loco apponemns duo scripta Ludouici IIII. Imperatoris, & inclyti Bauariç principis, quorum vtrumq; ille non suo tantùm, sed & totius Imperij nomine Papali tyrannidi publicè opposuit & euulgauit. Restitit ille fortissimus heros amplius XXX annis Pontificum Romanorum tyrannidi, iura Imperij publicumq; bonum defendendo. De quo vnnm illud tātum dico, meritò eius statuæ id subscribi posse, quod olim Bruti primi cōsulis, VTINAM VIVERES.

Apologia Ludouici IIII. Imperatoris, publicè contra calumnias Ioannis XXII. proposita.

IN primis contra nos, & Imperialem authoritatē, & ius Imperij, allegatur & obijcitur; quòd potestas & authoritas Imperialis est à Papa, & quòd electus in Re-

gem Romanorum, ex sola electione nõ est, nec dici potest verus Imperaror, nec habet potestatem, iurisdictionẽ & authoritatem antequam inungatur, consecretur & coronetur à Papa: qui vt dicunt, tam in temporalibus quàm in spiritualibus habet plenitudinem potestatis. Ad quæ respondemus, hanc opinionem sacris canonibus ac iuri & rationi pariter obuiare, sicut expressè patet in Decretis 96. dist. c. Cum ad verum, & canone, Duo sunt. &c. Imperator. vbi expressè habetur in hæc verba: Duo sunt quippè, quibus principaliter hic mũdus regitur. s. authoritas Pontificum, & Regalis potestas. Habet quippe Imperator priuilegium potestatis suæ, quam administrandis legib. probabiliter diuinitus consecutus est, nec Imperator vsurpat. hæc ibi, vbi glossæ ordinariæ dicunt, quòd istæ Potestates sunt diuersæ, & quòd neutra dependet ab altera, & quòd Imperator non habet potestatem siue imperium nisi à solo Deo. 93. d. c. Legimus. vbi in textu dicitur, quòd exercitus facit Imperatorem, & glossa super verbo Imperatorem dicit: Sic ex sola electione principum. Dico enim verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur, vt dixi. 73. d. Quamuis hæc glossa. & hoc etiam probatur in canone X. d. vbi de potestate pontificali

& impe-

& imperiali loquitur in hæc verba: Quoniam mediator Dei & hominum Christus Iesus sit, actibus proprijs & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq; discernit, vt Imperatores pro æterna vita Pontificib. indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum imperialibus legibus vterentur. Quatenus spiritualis actio à carnalibus incursibus distaret, & Deo militans, s. Papa, minimè se negocijs secularibus implicaret: ac vicissim ille, si Imperator non videretur diuinis rebus præsidere, qui esset secularibus negocijs implicatus. Hæc ibi. Vbi glossa ordinaria de vtraq; potestate loquens, dicit sic: Dũ ergo potestates istæ distinctæ, est hoc argumentum, quod Imperium non habetur à Papa, & quòd Papa non habet vtrunq; gladium. Nam exercitus facit Imperatorem, 43.d. Legimus. & Imperiũ à solo Deo habetur, 73.q.4. Est quamuis. Alioquin si imperium haberet à Papa, posset in temporalibus ad Papam appellari: quod probat Papa Alexander 4. Quòd illa. s. temporalia, suam. s. Papæ iurisdictionem non attingunt. ex. de appel. Si duobus. &, qui si. sicut legit c. Tamen. &, ita eius, credo istas potestates distinctas esse. Hæc glos. & 8. d. c. Quo iure, dicitur: quòd iura humana per Imperatores, Reges seculi, Deus humano

generi distribuit. & lex dicit, quòd imperium & sccerdotium principio præcesserunt in actum, quomodo oporteat Episcopos & cæteros cleri, ad ordinem perduci. In principio, Conf. 1. Nec Imperator iurisdictionē Papæ, nec Papa iurisdictionem Imperatoris perturbare debet. extrà, de iudic. Nouit,

Ex quibus alijs pluribus quæ breuitatis causa dimittuntur, clarè patet, quòd potestas & authoritas Imperialis, quæ immediatè est à solo Deo, & non à Papa, & quòd electus in Imperatorum, ex sola electione est Rex Rom. & habet authoritatē, iurisdictionem & potestatem Imperialem & antiquā, inungatur, consecretur, & coronetur à Papa, aut non: & quòd Papa non habet in temporalibus dictam plenitudinem potestatis.

Sed obijcitur, quòd ille qui se Ioannem Papam XXII. appellabat, per suos processus de facto cessauit, siue nullam caussam & irritam pronunciauit, electionem de nobis in Regem Romanorum factam asserens in suis processibus nos ministrare non posse iura Imperij, & quòd administratio Imperij ad ipsum Ioh. pertinebat de iure, & alia plura in ipsis processibus asserens, & attentans cōtra nos & iura Imperij, & cōtra illos, & coutra iura & libertates eorum, ad quos uacante Imperio ptinet electio Regis Romano-

Romanorũ,& cõtra iura & poteſtates Principum Alemanniæ, & ſubditorum Imperij, & contra conſuetudines antiquitus rationabiliter introductas & obſeruatas: prout in ipſis proceſsibus, imò verius exceſsibus, continetur. Inſuper poſt dictos proceſſus, quaſdam literas ſub bulla ſua dicitur feciſſe; & per multum publicè tranſtuliſſe, in quibus ſe aſſerit totam Italiam ab imperio & regno Alemanniæ ſeperaſſe, inſinuás per ſua ſcripta & dicta, quòd Papa tanquam dominus vniuerſalis non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus poteſt tã de imperio quàm de omnibus regnis & dominijs temporalibus totius mundi, ad ſuũ libitum diſponere & ordinare.

Ad quæ omnia duximus reſpondendũ, quòd dicti omnes proceſſus, aſſertiones & literæ, & omnia & ſingula quæ per dictum Ioh. in prædictis & contra prædicta geſta ſeu attentata fuiſſe dicuntur, fuerũt & ſunt nulla, & nullius ualoris & momenti, rationibus infrà ſcriptis.

Prima ratio eſt, quoniam Papa quantum cumq; catholicus & legitimus, non habet talem poteſtatem, nec autoritatem aut iuriſdictionem in temporalib. & maximè ſupra iura Imperij, quod eſt immediatè à ſolo Deo, vt euidenter probant Canones, & iu-

ra ſuperius allegata. Vnde quicquid dictus Ioh.fecit in prædictis,.tanquam à non ſuo iudice factum,nullius fuit momenti: vt probant apertè canones 11.q.1.di.pen.& 7. q. 1. c.In primis.iuxta finem. & 16. q. 1. c. Frater noſter,& ex.de Iud.At ſi clerici.& ex.de cõſue. Ad noſtram, &c. Si non à competenti iudice.l.ij.& iij. & vlt.cum ſimilibus.

Secunda ratio eſt ex eo,quòd dicti proceſſus, imò verius exceſſus,fuerunt per dictum Ioh. contra nos,& in præiudicium enorme noſtrum, & illorum qui nos elegerunt in Regem Romanorum,& aliorũ Principum Imperij & Alemaniæ,ex notoriè falſis cauſis, & nullo fori ordine ſeruato, nobiſq; & alijs quorum intererat abſentibus, & nullo modo legitimè montiis & citatis. Vnde dum ſacri canones & iura diuina & humana decernant,ſententias & proceſſus quoſcunq;promulgatos,abſentibus ijs quorum cauſa agitur,ſiue uentilatur,& eis ſcitè non monitis & citatis, nullius exiſtere firmitatis 3. q. 4. per totum.& vbi etiam legitur ſanctos pontifices definiuiſſe in hęc verba: omnia quæ aduerſus abſentes in omni negotio aut loco aguntur aut iudicantur, irrita erunt, & euacuantur omnino, nec aliquam obtinent firmitatem, quia diuinæ & humanæ leges hoc fieri prohibent,vt ex.de

teſtibus In nomine Domini. & in auth. de teſtibus. Hæc verò coll. 7. & ſuper quæ ſen. ſine app. & reſt. l. 1. c. Ex hoc edicto. & l. quo modo & quando iudex L. eaq;. & maximè in cauſis quę ſummi Pontificis iudicio deci dūtur, ordo iuris & vigor æquitatis eſt ſubtiliter obſeruandus, vt ex. de ſit. & re iud. C. in cauſis. Sequitur, quòd prędicti proceſſus imò verius exceſſus, fuerunt nulli, & nullius valoris, peremptus & momenti.

Nec obuiat, ſi dicatur, quòd prædictus Ioh: in ciuitate Auiniōis Prouinciæ exiſtēs, cum ſua curia, per ſuam naturam quam debet ad fores Eccleſię â viſis appendi feciſſe, nos abſentem citauit: quoniam talis citatio, eſto quòd appareret, nullatenꝰ fuit nec eſt dicenda ſententia, rationibus infrà ſcriptis. Prima ratio: quia ſunt canones & iura. Ad hoc, quod cenſeatur & dici poſsit citatio firma, neceſſe eſt quòd habens, qui citādus eſt, citetur aut perſonaliter, ſi inueniri poteſt: aut ſi non poteſt inueniri, publicè citetur ad domum ſuam. aliâs niſi ſic citetur, non poteſt procedere contra ipſum, vt apertè proijciatur 4. q. &c. Quiſqs. Et ex. de dolo & contu. in textu & in gloſſ. & in c. Venerabilis. in fin. & de cleric. non re. ex me. & ex. quæ matrimonium ſit. poſt c. & de eo qui mittitur in poſſ. c. Ite. ſ. c. vlt. equus canis maiores.

maiores.4.Item ait. Hoc autem cum simili-bus, & si proceditur, processus nullius est momenti, vt dicitur in superius allegatis iuribus 3.q.c. caueant.& quæ sint. sine app.re sti.l.1. & co. Quomodo & quando iudex. l. eaque. Ex quibus iuribus clarè patet, dato sine præiudicio, quòd talis inquam citatio per literas in ciuitate Auinione appensas, reperietur facta fuisse, quòd nihilominus, processus per ipsum Ioh. factus fuisset irritus & inanis.

Secunda ratio: quia ad hoc quod citatio de iure legitima censetur, & arctet citatum ad veniendum, necessum est quod assignetur illi qui citandus est tempus & locus ad comparẽdum securus: prout manifestè probant iura, ex.de app.c.ex parte tua.& 33.q.2. Siue de coniugij. Vbi prouidendus est locus, in quo nulla vis formidetur multitudinis, nec sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam à sanctis canonib. quàm à venerandis rationis legibus, in huius controuersijs requiritur. Hæc ibi & 3. q. 9. hortantur: & ex. vt li. non contes. c. accedes. & de iudic. l. sed locus.

Sed notorium est, & indubitatum existit, quòd dictus Ioh. tam nos, quàm Imperij nostri fideles & amicos, odio capitali, & etiam hostili exercitu persequebatur de facto: & ciuitates

ciuitates & iura Imperij sibi vsurpare & sub iugare, quantum poterat, conabatur. Ciuitas quoq; Auinionis, in qua idē Ioh. cū suo consistorio morabatur, & ad quam nos per suas literas euocabat, & illi qui illius ciuitatis dominium detinebat, nos & Romanum Imperiū habebat odio notorio & antiquo. Vnde patet quòd deciperet, qui diceret, vel sentiret, vel talem citationem, nos ad comparendum modo aliquo coarctasse. Quis enim auderet dicere, quòd talis consistorij in tali loco periculoso teneremur subire iudicium, & in hostium nostrorum nos ponere sinum, & mortis periculo vltroneo nos offerre? Patet igitur, q́d talis citatio si facta reperiretur de nobis, foret irrita & inanis.

Tertia ratio sumitur ex eo, quòd in sacris canonibus & legibus statuitur, quòd nullus in propria causa possit iudicare, vel ius sibi dare: vt probatur 73.q.4.c. inter querelas & q.& de occidē.& 4.q.c.1. & C.ne quis in causa propria iudicet, vel ius sibi dicat. Sed manifestum adeò est, & notoriū, vt nulla possit tergiuersatio negari, quòd p̄dictus Ioh. de facto cōtendebat, scilicet quòd ipse nō solū in spiritualib. sed & in temporalib. & in nos & in totū Imperiū, ac iura Imperij habebat plenitudinem potestatis: & quòd sup hoc cōtra nos cōtrouersiā & litigiū de facto

mouebat,& iura Imperij etiam hostiliter sibi pro viribus vsurpare conabatur: & nos & Imperij nostri fideles quantum poterat, tanquam aduersarius, hostis & inimicus noster & Imperij, consequi nitebatur. Vnde etiam contra eum tanquam contra aduersarium, inimicum & hostem nostrum, & etiã Imperij, pro defensione nostra, & etiã fidelium nostrorum, & iuris Imperialis ac fidei, appellamus ad futurum generale Concilium, in loco tuto & securo modo debito, & secundum fomram sacrorum canonum cõgregandum. Ex quibus sequitur manifestè, quòd dicti processus, imò verius dicti excessus, per dictum Ioh. contra nos & contra fideles nostros & iura Imperij facta fuerunt in propria causa, & temerè & perperã attentati: & quod ipse in ipsis procesibus se iudicem simul & partem effecit: ac per consequens, quòd fuerunt irriti, & nullius penitus firmitatis.

Tertiò obijcitur contra nos, quòd dictus Ioh. tam in nos, quàm in omnes sequaces ac fideles nostros, habentes & tenentes nos pro Imperatore nomine, & honore, & nobis tanquam Imperatori obedientes & reuerentiam exhibentes, & in omnibus admittentes nos ad diuina, seu nobiscum participantes in diuinis, aut diuina officia celebrãtes co-

tes coram nobis,& præbentes nobis auxilium,consilium & fauorem,de facto excommunicationis sententiam fulminauit: & Ecclesias & Vniuersitates quæ contrà facerēt, Ecclesiastico supposuit iudicio. Vnde dicitur, Quòd sentētia pastoris siue iusta siue iniusta, seruanda est & timenda.

Ad quæ respondemus & dicimus, quòd secundum sacros canones & iura huius sententiæ & processus, fuerunt & sunt nullæ ac nullius firmitatis, nulliusq; ualoris penitus & momenti; nec sunt aliquo modo timendę nec seruandæ, nec timendi nec seruandi, quod euidenter ostenditur & probatur rationibus infrà scriptis. Prima ratio sic sumitur. Certum est, quòd cum prælatus Ecclesiæ in suo mandato excedit formam & potestatem à sacris canonibus sibi traditam, & in contra mandatum huius facientes excōmunicationis in singulares personas & in Ecclesias & vniuersitates, sententias interdicti promulgat, talem sententiam non tenere, sed nullam ipso iure fore, nullatenus q; obseruandas, ut probatur per id quod legitur & notatur, ex. de excessibus prælatorum. c. cum ad quorundam. Temerarium enim est & indignum, aliquem sibi sua autho ritate vsurpare, quod Romana Ecclesia nō concedit. Ex. de priuileg. c. sanè. Sed vt su..

ſententia eſt ipſo iure nulla: vt probatur apertè per illud quod legitur & notatur. Ex. de ſententia excommunicationis. c. per tuas. & ex. de procurat. c. in noſtra ſententia niſi. & ex. de crimine falſi. c. ſuper eo. & ex. de ſententia & re iudicata. c. 1. Sed maximũ eſt, quod dictus Iohannes in dictis ſuis proceſsibus & ſententijs expreſsit, quòd non obediatur nobis, cui omnes Imperio ſubiecti obedire, & reuerentiam exhibere ſecundum diuina & humana iura ſunt aſtricti: & quòd hoc fecit, volendo ſibi ius Imperij & poteſtatem omnimodam in temporalibus contra dominum & contra iuſtitiam uſurpare, ad quæ non extenditur, vt dictum eſt, authoritas & poteſtas. Ergo ipſæ ſententiæ ſunt & fuerunt nullæ, & nullius penitus firmitatis, nec fuerunt nec ſunt quomodolibet obſeruandæ.

Maximum eſt, quòd quádo ſententia excommunicationis vel interdicti profata eſt poſt appellationem legitimam, nulla eſt, nec eſt aliquatenus timenda, nec ſeruanda, vt apertè probatur. Ex. de offic. & poteſt. 3. d. Cum olim, in fine. & de ſententia excommunicationis c. Venerabilibus, in fine. & ext. de appel. c. ad Imp. Et per illud quod legitur & notatur ex. de ſententia excommunicationis, c. per tuas, in gloſſ. ord. & per

rum canonum, quòd Papa, vbi de fide siue de iure diuino agitur, subest concilijs, nec potest per illud quod legitur & notatur 15. c. Sicut sancti. in textu & gloss. & 25. q. Sunt quidam. cum sequentibus capitibus, & 19. d. c. Anastasius, vbi dicit gloss. ordi. super uerb. concilio dicitur: Videtur ergo, quòd Papa tenetur requirere concilium Episcoporum, quod verum est, vbi de fide agitur, & tunc synod. maior est quàm Papa. 15. d. Sicut sancti mei. dicit gloss. ord. & quòd Papa, vbi de fide agitur, habet superiorem in terris, à quo possit iudicari: & per consequẽs, ad ipsum superiorem valeat appellari. Probatur etiam notanter per illud quod legitur & notatur. 40. d. c. Si Papa, vbi expressè definitur, quòd Papa à nemine iudicari potest, nisi deuiat à fide catholica. Ergo si Papa deuiat à fide, habet superiorem in terris. à quo potest iudicari: & per consequens, ad ipsum appellari. Hoc etiam patet per hoc. quod dicit August. in epist. ad Glorium & Elousium, & reliquos Donatistas, vbi de cõcilio Papæ & collegij Cardinalium scribit dominus sic. q. Non eis dici possit, & adhuc iustissimè dici, Ecce puteus, illos Episcopos, qui Romę iudicarunt, non bonos fuisse. restabat adhuc vniuersalis Ecclesiæ plenarium iudicium, vbi etiam cum ipsis iudi-

cibus causa posſit agitari, vt ſi malè iudicaſ-ſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerẽtur. Hæc Aug. Ex quibus & alijs plurimæ authoritatis, quæ breuitatis cauſa dimittuntur, euidenter patet, quòd concilium vniuerſale Eccleſiæ catholicæ, vbi de iure diuino aut de fide agitur, maius & ſuperius eſt concilio Papæ & Cardinalium, & ipſum ſoluit & tollit, ſi ipſi repugnant.

Cum ergo pro defenſione iuris Imperij, quod eſt à iure diuino, & fidei catholicę, appellamus ad generale concilium in loco tuto & ſecuro congregandum, ſequitur, quòd appellatio noſtra fuit interpoſita ad ſuperiorem, ad quem legitimè potuit appellari.

Ludovici Bavari [illegible]

Conſtitutio Domini Ludouici IIII Imperatoris relata, & de verbo ad verbum poſita apud Albericum de Roſate l. Bene à Zenone. C. de quad. præſc.

Licet iura vtriusq; Teſtamenti manifeſtè declarent Imperialem dignitatem & poteſtatem immediatè in filio dei ab antiquo proceſsiſſe, & Deum per Imperatorem & reges mundi iura humano generi apertè tribuiſſe, & quòd Imperator ex ſola electione eorum ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione, ſeu approbatione: quoniam in tẽporalibus non habet ſuperiorem in terris,

ſed

ſed eidem ſubſunt nationes, & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus mandauerit quę ſunt Dei Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddenda. Quia tamen quidam auaritiæ & ambitionis cæcitate deuicti, & nullius Scripturæ intelligentiam ſe habere dicentes, ſed diuertẽtes à tramite recti ſenſus, in quædam iniqua & praua commenta, & in aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, contra poteſtatem & autoritatem imperialem, & iura Imperatorum, Electorum, & aliorũ Principum & fidelium committentes, fallaciter aſſerẽtes, quòd Imperialis dignitas & poteſtas eſt à Papa & qđ electus in Imperatorẽ non eſt verus Imperator nec rex, niſi prius per Papam ſiue ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur, & coronetur, & per huiuſmodi prauas aſſertiones, & peſtifera dogmata, hoſtis antiquus mouet lites, & iurgia ſuſcitat, contentiones parit, & ſeditiones procurat: Ideo ad tantum malum euitãdũ, de conſilio & conſenſu Electorum & aliorum Principum Imperij declaramus, quòd imperialis dignitas & poteſtas eſt immediatè à ſolo Deo, & quòd de iure, & Imperij conſuetudine approbata, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue Regẽ ab electoribus Imperij concorditer, vel maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola ele-

ctione est verus Rex, & Imperator Romanorum censendus & nominandus: & eidē debet ab omnibus Imperio subiectis obediri, & administrandi iura Imperij & cætera faciendi quæ ad Imp. verum pertinent, habet plenariam potestatem: nec Papæ siue Apostolicæ sedis, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, autoritate indiget, vel consensu. Et hoc in perpetuum ualitura lege decernimus, vt electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte Electorum, ex sola electione censeatur, & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore: & eidem ab omnibus subiectis Imperio debeat obediri, & administrationē & Iurisdictionē imperialē, & Imperialis potestatis plenitudinē habeat, & habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicumq; autem contra hæc declarata, decreta vel definita, aut aliquid eorum, asserere seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratijs Iurisdictionibus, priuilegijs & immunitatibus à nobis vel prædecessoribus nostris eis concessis; ex nunc priuamus, & ipso iure & facto

dece-

decernim⁹ esse priuatos. Insuper eos crimẽ lęsæ maiestatis decernim⁹ incurrisse, & pœnis omnibus crimen læsæ maiestatis committentibus subiacere. Datum in Coloniensi ciuitate Alemanniæ.

Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua Præsul.
Vt Christus iussit Petro soluente tributum.

FINIS LIBRI DE TRANSLAtione Romani Imperij à Græcis ad Germanos.

VERA DEMONSTRATIO, QVOD ELECTIO PRAESVLUM *& episcoporum non ad Ecclesiasticos solùm, sed & ad Laicos, vt vocant, pertineat: quodq; hi hoc iure electionis inde vsq; à Christi temporib. annos 1300. liberè vsi sint, authore Matth. Fl. Illyrico.*

VAticinatur diuinus propheta Daniel, fore vt Antichristus, summa Ecclesiæ pernicies, hac potissimùm ratione sit aucturus & confirmaturus regnum suum, quòd socijs opitulatoribusq; suis daturus est & distributurus regiones & opes, ijsq; magnos honores cumulaturus.

Viguit quidem hoc malum ubiq; locorũ, grassatusq; est hac arte & modò ille perditissimus tyrannus multis iam seculis: sed tamen nunquam tam manifestè ac potẽter, velut his nostris, vltimisq; temporibus. Nã olim etiã alijs fulcris regnum Papæ (vt abusibus & superstitionibus varijs) fuit sustentatum: quòd homines existimarunt & crediderunt, eam demum esse veram religionem, qua æterna beatitudo sit comparãda: seq; cultum Deo acceptissimum præstare, si vni Antichristo Romano essent longè addictis-

addictiſsimi, eiusq́; regnum pro ſua quiſq; virili conſtabilirent.

Iam verò Dei beneficio vident pleriq;, totum Papatum meris impoſturis & pernicioſis erroribus eſſe refertũ, quodq́; nulla omnino ſpes ſalutis in ea religione hominibus ſit relicta. Sciunt etiam, quòd Papa ſit ipſiſſimus Antichriſtus, & capitalis Dei hoſtis. Nihilominus tamen (ô auri execrandam famem) adulantur & colludunt ei, ad pedes eius ſe abijciunt, vt modò ab ipſo epiſcopatus, Præpoſituras, Canonicatus, Abbatias, & ſimiles reditus impetrare poſsint.

Quare Papa hoc iam fermè vinco fulcro labaſcens regnũ ſuum adhuc ſuſtẽtat, quod paſsim multis induſtrijs ac idoneis ad res agendas, aut alioqui potẽtib. viris aliqua loca, Abbatias, prælaturas, Epiſcopatus & alias dignitates elargitur: habetq́; in ea re adiutores & incitatores filios ex meretrice ſua Babylonica progenitos, ſacrificulos nimirum impios, ſuperſtitioſos monachos, aliosq́; huius farinæ homines ſimili pietate inſignes.

Hi enim cum probè videant, omne ſuum robur, omnemq́; autoritatem ac dignitatẽ in eo ſolo ſubſiſtere, vt cultus ipſorum impius, & regnum Antichriſti maneat ſaluum, & conſeruetur integrum, gnauiter dant o-

peram, vt quamprimùm aliquo vel episcopo, vel abbate, vel prælato, aut simili sui ordinis magnate orbátur, alium sibi suæq; impietati cōmodum in illius locū substituāt.

Eligunt enim non eum, qui ad propagationem gloriæ diuinæ, & publicæ siue communis vtilitatis maximè sit idoneus: sed q̃ velit ac posſit ipſorum tum idolomaniam, tum vitæ ſpurcitiem tueri ac promouere: imò qui & ipſis, & deo ipſorū Romano Antichriſto, omnia libentiſsimè polliceatur, totum ipſis ſeſe deuoueat, iuret, & ad omnem impietatē, vtut ipſis viſum fuerit, arctiſsimè ſe deuinciat, obſtringatq;, nō ſine etiā fideiuſsione ac iuramento cognatorum.

Quapropter, vt hoc quoq; in parte regnū Antichriſti, quòd verè eſt regnum tenebrarū, luce diuinæ veritatis labefactetur, conabor, Deo auxiliante, in hoc libello demonſtrare, quòd electio epiſcoporum non tantùm ad omnes pios clericos aut ſpirituales, ſed omni quoq; iure ad Laicos ſpectet, & pertineat. probabo autē id primùm ex verbo Dei: deinde ex ſcriptis patrum: tum ex Concilijs, legibus Imperialibus & decretis Pontificijs, necnon ex ipſis hiſtorijs, & deniq; multo vſu lōgiſsimaq; conſuetudine.

Quòd igitur totius ipſius Eccleſiæ, non verò paucorum quorundam ſit ius & poteſtas

ſtas eligendi veros ac ſinceros miniſtros Verbi ac Sacramentorum, ſiue ſunt ſacerdotes, ſiue etiam epiſcopi, abundè ſatis oſtẽdit ex verbo Dei D. Martinus Lutherus piæ memoriæ, in libello cui titulum fecit, De inſtituendis miniſtris, ad Bohemos. &, in alio cuius inſcriptio hæc eſt: *Das die Kirche macht habe*, &c. id eſt, Quòd Eccleſia poteſtatem habeat eligendi & deponendi miniſtros. item in Geneſi, Tomo Latino 2. folio 276, Et in Geneſi, tomo Germanico 2. fol. 242. & alij innumeri in ſuis ſcriptis ſinceri doctores. Attamen & ego teſtimonia quædam veritatis illuſtrandæ gratia adſcribam.

PRIMO: In confeſſo eſt, claues non ſoli Petro, neq; tãtùm Apoſtolis, verùm Eccleſiæ Dei eſſe traditas. Quòd quidem partim per ſe, ac ex ipſis verbis Domini, partim etiam ex patrum & vetuſtorum interpretũ ſcriptis, ſuper dictum (Tibi dabo claues regni cœlorum, Matth. 16.) eſt manifeſtum. ſiquidem ipſi hoc dictum intelligunt & interpretãtur de tota Eccleſia, nõ de vno Petro.

Sic enim ſcribit Auguſtinus ſuper Ioannem tractatu 124. cap. 21 Sed, inquiens, quãdo ei dictum eſt: Tibi dabo claues regni cœlorum: &, Quodcunq; ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit & ſolutum in cœlis: v-

niuersam significabat Ecclesiam, quę in hoc seculo diuersis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, & & non cadit: quoniam fundata est supra petram, vnde & Petrus nomen accepit: Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra. &c. Item: Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro: id est, potestatem ligandi soluendiq; peccata. Idem de agone Christiani, cap. 31: Nec eos audiamus, inquit, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata dimittere. Itaq; miseri dum in Petro petram non intelligūt; & nolunt credere datas Ecclesiæ claues regni cœlorum, ipsi eas de manib. amiserunt:

Quin & Dominus ipse paulo pòst, nempe Matth. 18. istud dictum de clauibus, trāsfert ad totam Ecclesiam, & omnes pios; & nō ad Papam, aut solos spirituales, cum inq̄t: Si peccauerit in te frater tuus, abi & redargue eum solus ipse solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: sin verò non audierit, adhibe tecum adhuc vnū, aut duos, vt in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum. Quòd si nō audierit eos, sit tibi velut ethnicus & publicanus. Amē dico vobis: quæcūq; ligaueritis in terra, erūt ligata in cœlo, & quęcūq; solueritis in terra erūt soluta in cœlo. Rursum dico vobis, si duo

duo ex uobis cōſenſerit in terra de quacūq; re quā petierint, continget illis à patre meo qui eſt in cœlis. Vbi enim ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

Iam verò continent ſiue complectuntur claues omnem legitimam vim atq; poteſtatē Eccleſiaſtici regiminis, ſiue agendi aliquid, ſiue omittendi. Qđ negari nec poteſt, nec ſolet. Quare & hæc poteſtas vi clauium Eccleſiæ eſt conceſſa & attributa, vt ei liceat uel eligere idoneos miniſtros, ſiue ij uocentur diaconi, ſiue paſtores, ſiue epiſcopi: vel ab officio remouere eos, qui vel in doctrina, vel in vita deprehenduntur impuri, aut minus idonei.

SECVNDO: Chriſtus vbiq; præcipit ſuis diſcipulis, vt ſuam tantùm vocē audiant, & ab aliena ſeſe auertant, eamq; ſedulò vitent. Item vt ſibi à pſeudoprophetis & Phariſæorum fermento caueant. Item Paulus, vt eos deteſtētur, imò & diris deuoueamus, qui aliud Euangelium docent. In quibus dictis omnibus cum mandet Chriſtus, vt Chriſtani auditores ſibi fideles cóciona tores ſeu miniſtros Eccleſiæ quærant, & malos fugiant, dat certè Eccleſię ſuę poteſtatē & mādatū, vt pios & idoneos doctores vocet, improbos verò & non idoneos reijciat.

TERTIO: Paulus 1.Corinth.3.dicit, Omnes concionatores esse Ecclesiæ ministros, non dominos. Ecclesiam dicit esse columnam veritatis, Ecclesiæ vult dici de cõtrouersijs. Eius igitur est summum iudicium tribunal aut potestas. penes eam igitur meritò & vocatio ministrorum est. 1. Petri 5.legitur. Non veluti dominium exercẽtes aduersus cleros: sed sic, vt sitis exemplaria gregis. Habet itaq; Ecclesia potestatem eligendi, suscipiendi, itemq; repudiandi, cum sunt inepti, aut etiam mali.

QVARTO: Legitur id etiam in praxi seu vsu fuisse tempore Apostolorum. Scribit enim Lucas Act.14. presbyteros Ecclesiæ suffragijs Christianorum electos, & non à solo Petro vel Paulo fuisse præconstitutos, quos ipsi voluissent, vt põtifices recentiores factitarunt. Ad eundem modum & Cyprianus ostendit, tum Iosephum, tũ Matthiam apostolũ Act.1.tum septem illos diaconos Act.6. suffragio & consensu vniuersi cœtus ad ministerium fuisse vocatos. Sed desino in tãta luce Euangelij, quæ hoc tempore est, plura testimonia sacrarum literarũ proferre, ne & lectorem & scriptum copia nimium onerem. ¶ HACTENVS testimonia testimonijs sacræ scripturæ propositam sententiam probauimus. Nunc porrò etiam

etiã quædã patrũ & Conciliorũ teſtimonia adferemus, ex quib. liquidò cernatur, etiã poſt Apoſtolorum tempora id moris in Ecclesia fuiſſe ſeruatum, & ſolenni indubitatoque vſu confirmatum.

Anacletus epiſcopus Romanus, qui ſubitò Chriſti tempora eſt conſecutus, ſcribit: quòd Dominus electionem epiſcoporum commendauerit ſacerdotibus, & piorum cœtui. Idem prorſus teſtimonium repetitur deinde diſtinct. 79. Can. elect. verba eiꝰ hęc ſunt. Cum Dominus electionem ſummorũ ſacerdotum ſibi ſeruauerit, eorũ tamen electiones bonis ſacerdotibus & ſpiritualibus POPVLIS conceſsit.

Præterea quarta Cypriani epiſtola, non tantùm eius, ſed & aliorum complurium nomine eſt ſcripta: imò ferè ceu à toto aliquo concilio. Et agitur in ea propè nihil aliud, quàm de epiſcoporum electione, & quales ij eſſe debeant. firmiter autem patres illi concludunt, electionem eſſe totius Eccleſiæ, ſiue totius cœtus piorum, pertinentis ad eligendos doctores aut epiſcopos: quẽadmodum in ea epiſtola porrò videre licet. Locus Cypriani de hac re in ſequentib. prolixè citabitur.

Sic & in tertia epiſtola aliquoties indicat Cyprianus, ſeipſum ſuffragio & conſenſu

totius Carthaginene&cfis lefiæ creatum esse episcopum.

Ad hæc, sacrosancta illa, omniumq; celeberrima, Nicena synodus, etiá testatur, electionem episcoporum pertinere ad populum, siue (vt vocantur) Laicos. Scribit enim ea Synodus epistolam quandam ad Ecclesiam in Ægypto, vt testatur Theodoretus, in qua hæc verba leguntur. Dignum est vos potestatem habere & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi qui clero sunt digni, & absolutè facere omnia secundum legem ac sanctiones Ecclesiæ. Si quem verò contingerit requiescere in Ecclesiá, tũc prouehi in honorem defuncti eos qui nuper assumpti sunt, solummodò si videantur digni, & Populus eos elegerit, condecernente simul & designante maximè Alexandriæ ciuitatis episcopo.

Sic & non minus celebris synondus Cõstantinopoli sub Theodosio magno coacta, testimonium præbet de electione laicorũ. nam scribit ea quandam epistolam ad Damasum Papam, ad Ambrosium & alios episcopos, qui vnà erant in synodo Romæ, vt testatur Tripartita historia libro 9. cap. 14. In ea epistola hæc verba extant: Constantinopolitanæ vrbis episcopum ordinauimus Nectarium coram vniuersali concilio, cum communi

communi concordia, ſub aſpectu etiā Deo amabilis Imperatoris Theodoſij, vniuerſique cleri, cuncta decernente pariter ciuitate. In ſeniore autem, & verè Apoſtolica eccleſia Antiochiæ Syriæ, in qua primùm venerabile Chriſtianorum appellatum eſt nomen, reuerendiſsimum & Deo amabilem epiſcopum Flauianum, de vniuerſa prouincia & Orientali diœceſi concurentes regulariter ordinarunt, OMNI Eccleſia pariter decernente, &c.

Nazianzenus quoq; in funebri oratione quam fecit in obitum patris ſui, multa diſſerit de Laicorum electione, quemadmodum ibi videre licet. Sic & apud Chryſoſtomum quædam reperias libro 4. de ſacerdotio: cuius certè teſtimonium, vt patris ſanctiſsimi, meritò magnifieri debet, præſertim ab iſtis, qui perpetuo patres & primitiuam Eccleſiam iactant.

Papa itē Cœleſtinus, eius nominis prim9, in hūc modū ſcribit, nullus inuitis detur epiſcopus: cleri, plebis, & ordinis cōſenſus requiratur. In cōcilio quarto Carthaginenſi, cui etiam interfuit D. Auguſtinus, hæc verba, Can. 1 Concilij, & diſtinct. 23 leguntur: Cum in hiſce omnibus examinatus fuerit inuentus plenè inſtructus, tunc cum omni cōſenſu clericorum, & Laicorum, & conuentu to

tius prouinciæ episcoporum, maximeq̃ue Metropolitani vel authoritate vel præsentia. ordinetur episcopus, suscepto in nomine Domini nostri Iesu Christi episcopatu. Celebrata est hæc synodus circiter annum Domini 400,

Ita Augustinus quoq;, quãdo scribit, quo modo sibi substituerit ac designauerit Eradium, qui defuncto sibi succederet episcopus, prolixis verbis testatur, hoc esse receptum probatumq; ius & consuetudinem, vt tota Ecclesia sibi eligat episcopum, aut in ipsum consentiat.

D. Hilarius Pictauorum episcopus, ad Constantium Augustum scribit. Permittat lenitas tua populis, vt quos voluerit, quos putauerint, quos eligerint, audiant dicẽtes, & diuina mysteriorum solennia concelebrent, & pro incolumitate & beatitudine tua offerant preces.

Scribit itẽ Hieronymus ad Rusticũ monachum, quòd populus potestatem habeat eligendi clericos aut sacerdotes: sicut porrò ista ibi plenius videre licet, & legere.

Item Paulus Diaconus scribit de electio ne Ambrosij, quòd ab vniuerso cœtu vocatus fuerit ad munus episcopale. Et ipse quidem Ambrosius epistola 82. scribit, electionem & vocationem, quæ fit à tota Ecclesia, verè

verè & certò esse diuinam vocationem ad munus episcopi.

Papa quoq; Gelasius scribit dist. 63, electionē episcopi esse totius Ecclesię: & quòd necesse sit, vt tota Ecclesia conueniat, & sibi idoneum episcopum eligat. Vixit verò hic Gelasius circiter annum Christi 500.

Hanc Canonum sententiam etiam Bonifacius, hoc nomine tertius, cōprobauit anno (ni fallor) 600 à Christi temporibus: vt scribunt Sabellicus & Platina.

Item Stephanus papa, ibidem loci, dist. 63 scribit: electionem nō solùm ad spirituales, verumetiam ad laicos pertinere,

Leo etiā, huius nominis primus, ita scribit: Nulla ratio sinit, vt inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati. distinct. 62.

Habetur eodem loco: Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisq; cōsensus concorditer postulauerit: vti, si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maioribus & studijs iuuatur, & meritis: tantum, vt nullus inuitis & non petentibus ordinetur, ne ciuitas episcopum

non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quàm conuenit, cui nõ licuit habere quem voluit. dist. 63. Rectè hic indicat Leo, non solùm esse iustum, vt plebis cõsensus in electione episcopi accedat: sed etiam causam ostẽdit, quare id rectum, vtile & necessarium esse videatur, quia nempe is multo cum maiori fructu doceat, qui de communi cõsensu electus est, quàm qui inuitis obtrusus. ibidem distinct. 65.

De persona autem consecrandi Episcopi, & de cleri plebisq; consensu, Metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodq; in prouincia benè placuit, scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandã tua quoq; firmet authoritas: Quæ rectis dispositionib. nihil moræ aut difficultatis debet adferre, ne gregibus Domini diù desit cura pastorum. Metropolitano verò defuncto, cum in locum eius alius fuerit subrogãdus, prouinciales Episcopi ad ciuitatẽ Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum, atq; omnium ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis, optimus eligatur; de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, si quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerit. Sicut enim iustas Electiones

ctiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus, te ignorante præsumi.

Rursum item Leo distinct. 63: Vota ciuium, inquit, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum, in ordinationibus sacerdotum constituantur. Et infrà: Per pacem & quietem sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur: teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis. Hic papa etiam Leo Magnus fuit dictus, eo quòd omnium ferè pontificum post D. Gregorium fuerit doctissimus: quam ob causam meritò quoq; aduersarij maximi facere deberent tanti viri testimonium & decretum, in causa de iure electionis, præsertim cum ipsi contendant suos Papas errare non posse.

¶ Gregorius pontifex cognomento Magnus, huius nominis primus, sæpenumero facit mentionem electionis Laicorum: & docet, vt episcopi hoc pacto eligantur. Addam igitur quædam dicta ex ipsius epistolis. Libro 3. ad episcopum Agnellum: Relatio cleri simul & populi Terracinæ degentis, nos valde lætificat ob hoc, quòd de tua fraternitate bona testatur. Et quia defuncto Petro pontifice suo, te sibi cardinalem postulant constitui sacerdotem, eorum ne-

cessariò complenda preuidimus desideria.

Idem, ordini & plebi consistenti Terracinæ: Dilectionis vestræ desideria, insinuata nobis quam obtulistis petitio reserauit: electionemq; vestram valde laudauimus, quia Agnellum fratrem & coepiscopum nostrũ, probatum iam meritis, cardinalem vobis constitui deprecamini sacerdotem, &c.

Ex eiusdem ad Scholasticum iudicẽ Cãpaniæ: Salutantes hortamur magnitudinẽ vestram, vt conuocantes priores vel plebẽ ciuitatis, de electione alterius sacerdotis cogitetis, qui dignus posſit cum Christi solatio ad sacerdotiũ promoueri. Et paulo pòst: Sin aũt aptã non inuenitis, in quã posſitis consentire personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc vrbẽ generalitatis vice mittatis, quorum & iudicio plebs tota consentiat.

Idem, ordini & plebi consistenti Albano: Probabilibus desiderijs nihil attulimus tarditatis. fratrem namq; & episcopum nostrũ, hominem bonum, vobis ordinauimus sacerdotem.

Idem Magno presbytero ecclesię Mediolanẽsis: Admone clerum & populum, vt ad eligendum nullatenus dissentiant sacerdotem, sed vno consensu talem sibi eligant, &c. Innumera planè sunt huius generis Gre

gorij

gorij Papæ dicta, præsertim in epistolis.

In concilio item Toletano hic Canon legitur: Sed nec ille deinceps sacerdos (id est episcopus) erit, quem nec Clerus nec Populus ꝓpriæ ciuitatis elegit, nec autoritas metropolitani, aut cõprouincialium sacerdotũ assensus exquisiuit. distinctione quinquagesimaprima.

Item concilium Cabilanense (quod circiter annum Christi 650 fuit) similiter scribit electionem etiam ad Laicos, vel vniuersam plebem pertinere. Hęc enim sunt ipsius verba Can. 10: Si quis episcopus de quacunq; ciuitate fuerit defunctus, non ab alio nisi à comprouincialibus, Clero & ciuibus suis, alterius habeatur electio. Sin autem aliter fiet, eius ordinatio irrita habeatur.

Item papa Hadrianus in epistolis suis ad regem Carolum Magnum, aliquoties mentionem fecit Canonum Olitanorum, quod fortasis particulare seu parouinciale fuit Concilium, in quo etiam comprobatur Populi electio. Adscribam itaq; quædam ipsius Hadriani verba: Ideo Apostolica præuidimus authoritate, vt Canones in Decretis eorum consistant: & quando à nobis ordinantur, Olitana consuetudine proclametur: Plebs & clerus Ecclesiæ illius simul cõsistẽs, elegerunt sibi episcopum, &c. Et pau-

lo pòst: Quia nunquam nos in vlla electione nobis subiecta ingessimus, nec ingerere habemus, sed neque vestram excellentiam optamus in talia recũbere: sed qualis à Clero & plebe cunctoq; populo electus Canonicè fuerit, si nihil sit quod sacro obsistat ordini, solita traditione ordinamus. Nos quippe, cum subscriptione decreti à cuncto populo roborati electum suscipientes, & ne videremur viduatam proprio pastore morari Ecclesiam, &c.

Significat hic Pontifex clarè, quòd nequaquam se velit ingerere in electionem eorũ qui sibi essent subiecti, sed integram potius ac liberam eam relinquere Clero & Populo suæ ciuitatis: eumq; citra moram ordinare, quẽ ipsi elegerint, & ad se cum testimonio plebis de electione miserint. Addit etiam insuper, se, cum aliquem ordinat, curare, vt Olitana consuetudine proclametur: præsentem hunc N. in episcopum sibi elegit, Clerus & omnis Plebs loci illius, &c. Hic verò Papa vixit ante annos 780.

HINCMARVS archiepiscopus Remensis in Gallia, vir cumprimis eruditus & pius, vixit tempore Caroli Magni, & deinceps. eius epistolę complures reperiuntur, scriptæ in membranis, de electione episcoporum, quarum aliquas meo Catalogo te-

stium

ſtium viritatis inſerui. Quamprimum enim epiſcopus aliquis in ſua diœceſi deceſsit, illicò ſcripſit ad populũ & Clerum eius loci, quo ſibi alium eligerent epiſcopum, ſemper adijciens, illud & æquitatis & conſuetudinis in Eccleſia poſtulare rationem.

Ex eius itaq; ſcriptis etiam quædam loca huc adſcribam. In epiſtola quadam ad Carolum regem ita ſcribit: Domino glorioſo ſit ſemper laus & uita. VII Idus Iun. circa horam ſecundam, venerunt tres Clerici, & duo Laici Syluanectenſis eccleſiæ ad exiguitatem meam, innoteſcentes, eandem Eccleſiam, fratre & cõſacerdote noſtro Erpoino defuncto, viduatam eſſe paſtore: ferentes etiam ipſius eccleſiæ tam Cleri quã plebis petitionem, ut eis paſtor ſecundum ſacras regulas tribuatur. Quos interrogaui, ſi verbum haberent de pace cleri ac plebis eccleſiæ illius ex aliqua deſignata perſona. Qui reſponderunt, ſe nõ aliam petitionem ex parte ſociorum ſuorum afferre, niſi vt apud ſolitam miſericordiam veſtram, liberã illis ac regularem electionem obtinere ſatagerem, quatenus ſecundum ſacras literas illuc Canonico viſitatore directo, ab omnib. Eccleſiæ ipſius alumnis valeat eligi, cui debet ab omnibus obediri.

Item ex epiſtola ad epiſcopum Hadeber

tum Syluanectenſem ſcripta: Dilecto fratre ac venerabili conſacerdote noſtro Hodone epiſcopo eccleſiæ Beluacẽſis defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater chariſsime, vt eiuſdem Eccleſiæ officio Viſitatoris, conſenſu Domini noſtri Ludouici regis, noſtræ humilitatis Metropolitana delegatione ſuſcepto, ad eandem Eccleſiã quantocyus ſtudeas properare, & aſſiduis hortationibus clerum plebemq; eiuſdem Eccleſiæ publicè admonere feſtines, vt remoto priuato ſtudio, vno eodemq; conſenſu talem ſibi præficiendum expetant, & eligant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus reſpuatur. formam autem electionis, qualiter & qualem eligere debeant, tuæ diligentię tranſmitto, quam publicè coram omnib. tua ſolertia relegi faciat, ne de ignorantia ſe quilibet excuſare valeat. Quæ electio non tantùm à ciuitatis clericis erit agenda, verùm de omnibus monaſterijs ipſius parochię, & de ruſticarum parochiarum presbyteris occurrant vicarij, commorantium ſecum cõcordia vota ferentes : ſed & laici, nobiles ac ciues adeſſe debebunt. Quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.

Hæc clauſula in multis admodum eius

epiſtolis

epiſtolis reperitur. plerunq; enim ita ſcribit: Quæ quidem electio non tantùm à ciuitatis clericis erit agenda, verùm & de omnibus monaſterijs ipſius parochiæ. Item Omnes præsbyteri ruſticarum parochiarum adeſſe debebunt, adferentes ſecum cõſenſum & vota ſui populi. Adeſſe quoq; debent laici, nobiles & ciues. Ab omnibus enim eligi debet, cui omnes obedire debent.

¶ Leo, eius nominis quartus, papa Romæ fuit anno Domini 450 Is concilium Romæ coegit, in quo 42 Canones conſtituit, qui ſummatim enumerãtur in vitis Põtificum, à Luitprãdo Diacono (vt opinor) deſcriptis, quas ego in vetuſto codice ex membranis confecto conſcriptas habeo.

Summa verò quinti Canonis hæc eſt: Quintò confirmauit, quòd Cœleſtinus & Magnus Leo de epiſcopis inſtituerãt, videlicet, vt non conueniat epiſcopum conſecrari, niſi à clericis & populo fuerit poſtulatus. Quia nulla ratio ſinit vt aliter conſecrati inter epiſcopos habeantur. Et, cum in eadem Eccleſia dignus non inuenitur, tunc primùm aliquis de altera Eccleſia deligatur: & quamuis neceſsitas eueniat, tamen inuidiosè nullo modo conſecretur.

Idem & Nicolaus primus, circa annum Domini 870. decreuit, vel potius ſuo tem-

pore fuisse in vsu affirmauit. Nam Guilhelmus bibilothecarius Lateranensis, cuius Blondus sæpe meminit, sic in Appendice ad Damasum in Nicolai huius vita scribit: Item sancimus, vt episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Ducis, cleri & populi, per epistolā Apostolicæ sedis præsulis acceperis consecrandi licentiā.

Item Hadrianus tertius, synodum quandam habuit, in qua detriminauit electionē liberam esse, & simul ad spirituales ac Laicos pertinere debere: quemadmodum id Platina in vita illius contestatur.

Gratianus initio dist. 63. decretum quoddam Hadriani ponit, contra Laicorum electionem, quod decretum in quibusdā glossis huic Adriano 3. attribuitur. Verum nostra hæc tum præcedentia, tum sequentia, testimonia perspicuè ostendunt, illud neq; primo, neque secundo, neq; etiam tertio adscribi posse, sed merum esse commentum atque mendacium nisi quis IIII Adriano id tribuat.

Pascalis item papa, huius nominis secundus Lugduni Galliæ egit concilium, vbi inter cæteros quosdam etiam hunc Canonē ad incudem reuocauit: Quòd nimirum episcopus non debeat à solis eligi sacerdotibꝯ, sed etiam à plebe eius loci: vt testis est Auētinus

tinus libro 6. Estque id factum ante annos (ni fallor) 450.

Ad eundem modum & Crantzius scribit in sua Metropoli, etiã Calistum papam post Paschalem in quodam concilio decreuisse, vt electio coniunctim permittatur libera clericis atq; laicis.

Eugenius item tertius, præcisè ante annos 400, Bullam quãdam de archiepiscopo Madeburgensi perscripsit ad alios quosdam complures episcopos Germaniȩ, quæ quidẽ est inserta in historiam Othonis Frisingẽsis, in cuius 2. libro de gestis Friderici, cap. 8 hȩc verba leguntur: Cum enim translationes episcoporum sine manifestæ necessitatis & vtilitatis indicio, diuinæ legis oraculum non permittat, cum etiam multo amplior quàm in alijs electionibus cleri & populi, eas debeat præuenire concordia in facienda translatione, & venerabili fratre nostro Gnicmano episcopo Cicensi, nihil horum est, &c.

Clarè hîc audimus, cùm in electione, tum translatione alicuius episcopi, ex vna diocœsi in aliam, necessariò requiri electionem vel consensum cleri & plebis. Mandat etiam in fine, vt ecclesiæ Madeburgensi, id est, clericis & populo (quemadmodum ipse paulo antè significauit) liberrima cõcedatur electio: Estque hic episcop⁹ fact⁹ deinde Madeburgẽsis

archiepiſcopus, proculdubio per liberam illam,& à pontifice mãdatam, Laicorum ſimul & clericorum electionem.

Diligenter etiam & hoc eſt obſernandũ, quòd hæc Bulla Papæ tempore Gratiani, Decretorum collectoris, ſcripta ſit: vt mirũ videri queat, quòd adeò contra commuuẽ morẽ ac vſum, contra ſententiam Pontificis,& clara ac perſpicua teſtimonia, quæ ipſemet recenſet, conſultò in alteram partem inclinarit atq; decreuerit, ſeu in ſuo decreto concluſerit.

Hæc ſatis nũc ſint, teſtimonij loco, quòd non ſolùm ex Scriptura ſacra, & Patrum ſcriptis, ſed etiam de ſententia pontificum & Conciliorum ſanctionibus conſtet, electionem epiſcoporum ad totum clericorũ ac ſacerdotum cœtũ, ſimulq; etiam ad Plebem loci illius, ſiue ij fuerint nobiles, ſiue ignobiles, maximè verò ad vniuerſum Populum metropolis in ea diocœſi pertinere. Nunc porrò etiam Imperiales quaſdam cõſtitutiones & teſtimonia adducam.

¶ Antiquiores Imperatores ſepius huiuſmodi electionem confirmarunt, vel potius iuſtam vſitatamq; eſſe conteſtati ſunt: vt clarè patet ex Imperialibus conſtitutionibus. In codice Iuſtiani expreſsè hæc verba habentur: Si quenquam vel in hac Regia vr

be,

be, vel in cæteris prouincijs, quæ toto orbe terrarum diffusæ sunt, ad episcopatus gradum prouehi Deo autore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conscíẽtia, sincero omniũ iudicio proferatur.

Item: Decreto facto, cum iureiurando omnium possessorum in ea ciuitate consistentium, electione facienda à Deo amabili episcopo & venerabili clero, & alijs in ciuitate bonę opinioni studẽtib. orthodoxis.

Ibidem: Ita enim eos præcipimus ordinari, vt Reuerendissimorũ episcoporũ, nec non clericorum & honoratorum possessorum & curialium decreto constituatur.

Sic & in Nouellis definitur in hęc verba: Sequentes igitur ea quæ sacris sunt definita canonibus, pragmaticã legem facimus, per quam sancimus, vt quoties opus fuerit ordinare episcopum, coeant in vnum clerici & primates ciuitatis, cui episcopus ordinandus est, & propositis Euangelijs de tribus personis decreta faciant: & quisq; eorum iuret per sacra eloquia, idq; ipsis decretis inferant, quòd neq; per largitionem, neque promissionem, aut amicitiam, aut gratiam, aut quamcunq; aliam affectionem, sed quòd sciant ipsos rectæ & catholicæ fidei ac honestæ vitæ esse, ¶ & supra 35 ætatis annum, hosce elegerint.

Item in Codice: Sequentes doctrinam sanctorum Apostolorum, de eo quod debeant eligi integerrimi & incorruptissimi sacerdotes, qui quidē ea re maximè cōstituūtur, vt suis precibus beneuolentiam Dei clementissimi Rebuspub. acquirant, præsenti cōstitutioni sancimus: Quoties sacerdotalem sedem in ciuitate quapiam uacare contigerit, vt suffragia ferantur ab incolentibus eam ciuitatem, de tribus qui in recta fide, ac vitæ sanctomonia, alijsq; optimis in rebus spectati & probati sunt, vt ex ijs qui maximè idoneus erit, in episcopatū cooptetur. Hic liquidò apparet, in primitiua Ecclesia & vsitatū & comprobatum fuisse, vt etiam Laici eligerent episcopos ac pastores vnà cum clericis.

¶ Carolus Magnus, primus Imperator Germanus, & quasi autor Romani Imperij in Germania, ac multorum episcopatuum fundator, inter alias complures leges de Ecclesijs; & hanc de episcoporum electione non sine summo suorum atq; procerum cō sensu condidit: Ne scilicet eam soli vsurpent secerdotes siue clerici, sed laici quoq;:

Verba autem eius hæc sunt: Sacrorum quoq; Canonum non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præ-

bemus,

bemus, vt ſcilicet epiſcopi per electioné cleri & populi, ſecundum ſtatuta Canonũ de propria diocœſi, remota perſonarum & muneꝛum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donũ eligantur, vt exemplo & verbo ſibi ſubiectis uſquequaq; prodeſſe valeant. Pręcipimus etiam omnibus ditioni noſtræ ſubiectis, vt nullus priuilegia Eccleſiarum, monaſteriorum, aut Eccleſias diripere prætentet. Quia ſicut à ſanctis patribus inſtructi ſumus, grauiſsimum hoc peccatũ eſſe dignoſcitur.

Reperitur autem hæc Caroli Magni modò recitata conſtitutio in Anſegiſo abbate: itẽ in amplo ipſius edicto: item, in defenſione libertatis Gallicarũ eccleſiarũ, editionis vltimæ Duareni: nec non diſtinct. 63 Canonum ſacrorum.

Debebat etiam ea Caroli Magni conſtitutio meritò apud Eccleſiaſticos in precio tanto haberi maiore, quanto ea habuit autorem pręſtantiorem, potentiorem, ſapientiorem, atq; pietate præditum magis inſigni, qui & veluti primus fuit Germanorum Imperator, imò ἔξαρχος Romani Imperij in Germania: deniq; qui tam multas epiſcoporum, abbatum & prælatorum ſedes partim conſtituit, partim iam conſtitutas tum opibus ac reditibus auxit, tum priuile

gijs ac immunitatibus communiuit.

Extat etiam donatio quædam Ludouici Cæsaris, qui filius fuit Caroli Magni, inserta Decreto, distinct. 63. in qua expressè statuitur, eum debere esse ac haberi episcopū Romanum, quem Omnes Romani, id est vniuersus populus Romanus vno consensu elegerit. Est igitur & hoc illustre testimonium Ludouici Cæsaris, eius nominis primi, qui secutus patrem suum Carolum Magnū, statuit, electionem episcopi simul spectare ad Laicos & clericos. Atq; hic Imperator est alio nomine nuncupatus Pius: qui & ipse amplissimè monasteriorum & episcopatuum reditus auxit, additis insuper compluribus immunitatum priuilegijs. Quam ob causam certè meritò constitutio ipsius in episcoporum & abbatum electione valere deberet.

Porrò scribit Platina in vita Hadriani secundi, Cęsarem Ludouicum secundum, circiter annum Christi 870. in hanc sententiam ad Romanos, vbi Hadrianum secundū suffragijs populi ac clericorum elegissent, scripsisse. Adscribam Platinæ locum.

Superuenere à Ludouico Imperatore literæ, quibus Romanos admodum laudat, quòd summum pontificem sanctè & integrè creassent, non expectato aliorum uoto, qui for-

qui fortè ea in re, ob ignoratinem perſonarũ, minus iudicij habuiſſent. Qui enim poſſe fieri dicebat, vt peregrinus & hoſpes dignoſcere poſſet in aliena Repub. quis potiſsimum ceteris præferendus ſit? id maximè ad ciues pertinere, & ad eos præſertim, qui cum inquilinis famliariter vixere.

Perſpicua certè & manifeſta eſt & hæc Cæſaris ſententia, cui cauſæ graues ſunt additæ, quòd & quare ſtatuat, electionem, qua eligendus eſt epiſcopus, præcipuè ad ciues pertinere.

Similiter ſcribit idẽ Platina in vita Leonis octaui, de Cæſare Otthone primo. Verba eius hæc ſunt: Leo octauus, protoſcriniarius, à clero populoq; Romano pulſo Iohãne, pontifex creatur: Nam cum Iohannes flagitioſè & intemperanter viueret, inſtarẽtq́ue Romani apud Imperatorem, vt alterũ pontificem abrogato Iohanne crearet: reſpondit, electionem ad populum & clerum pertinere, eligerent quem maximè idoneũ putarent, ſe eum ſtatim aprobaturum. Vnde cum Leonem elegiſſent, quem ipſe confirmauerat: deinde mutata ſententia, abrogato eodẽ, Benedictum ſuffeciſſent: iratus Ottho, eos vi & armis compulit, dedito etiam Benedicto, Leonem ſuſcipere.

Perſpicuum eſt & hoc teſtimonium Ot-

Othonis Imperatoris, huius nominis primi. quo oſtenditur, electionem iure & verè eſſe totius plebis, omniumúe ciuium, & clericorum, ſiue ſacerdotum ordinis. Confirmauitque hoc preſtantiſsimus Imperator non uerbis ſolùm, ſed opere quoque, ac facto. Cum enim data ſibi eſſet poteſtas eligendi aut conſtituendi Romanum aliquem epiſcopum, ciues ipſos (vt modò dictum eſt) cohortatus eſt, ut omnino ipſimet eum, quem maximè probarent, eligerent: licet plurimum ipſius intereſſe videbatur, talem illic eſſe epiſcopū, qui optimo ſemper erga eum eſſet animo, & fide ſumma.

Fuit aūt & hic Otho maximè celebris ac illuſtris Imperator. nam & Romanum Imperium inſtaurauit ac auxit plurimùm, in bellis multa præclara geſsit, ſapientia, virtute & pietate multùm excelluit, prælaturas etiam atq; epiſcopatus in Germania nō paucos cōſtituit, in quorum numero & Madeburgenſis eſt archiepiſcopatus: pleroſq; verò cumulatè auxit opibus, & priuilegijs confirmauit.

Quare & huius tam conſtans ſententia ac voluntas, quam ipſe prorſus diuinam eſſe cenſuit, & vt diuinum mandatum veneratus eſt, meritò in vniuerſo Imperio Romano,

no, cum primis verò in Archiepiſcopatu Madeburgenſi, & alijs ab ipſo conſtitutis magnifieri, imò & irrefragabiliter ſeruari debebat.

Proculdubio etiam idem habent & volunt fundationes ipſius ac priuilegia, ſi modò non (quod verendum eſt) ſunt adulterata: velut de ſecundo epiſcopo Madeburgẽſi, Giſlero ſcilicet, in vita ipſius legitur, q᷑ multa priuilegia partim corruperit & deprauauerit, partim etiam combuſſerit, prout commodum ipſi viſum fuit.

Recenſui igitur quatuor potentiſsimorum, pientiſsimorumq́; Cæſarum de Electione epiſcoporum ſententias: quæ profectò hoc etiam nomine plurimum momenti habere deberent, quòd epiſcopatus maxima ferè ex parte ab illis fundati, ampliſsimisq́; reditibus ſunt locupletati: vt ita vel ipſa æquitate poſtulante, ipſorum tam pia voluntas atq; conſtitutiones ſuum habere deberent locum, vt nimirum etiamnum nõ ſolùm à ſacrificulis, ijsq́; perpaucis, ſed coniunctim ab vniuerſo cùm clero tùm populo, eoq́; tam nobili quàm ignobili, fieret electio. Verùm vt hæc teſtimonia pro iure electionis epiſcoporum veluti in cõpendiũ redigam, adſcribam prolixum locũ Nic. Cuſani Cardinalis, ex ſecundo libro De con-

cordantia catholica: vbi ille eandem rem agit, citatis compendio pluribus testimonijs veterum.

EX LIBRO II NIC. *Cusani Cardinalis de Concordantia catholica.*

Ex quo patet, quòd si inuitis daretur episcopus, quoniam contra magnam synodũ est, quæ per electionis viam statuit esse prouidendum, quòd tunc reprobari posset sic datus, Et hoc probat textus 61. dist. nullus inuitis detur episcopus. Vbi istud capitulũ iam suprapositum proximè per Celestinũ definitur, qui dicit: quòd Clerici facultaté habeant renitendi, si se contra huiusmodi decretum viderint prægrauari: & quos sibi ingeri ex transuerso viderint, non timeant refutare. Facit c. obitum. e. dist. & ad idem 63. distinct. si fortè. vbi dicit textus, quòd in duobus in discordia electis, metropolitani iudicio detur vnus, qui petitus sit: & nullus detur inuitis, ne plebs inuita episcopum non optatum contemnat. Et facit ad hoc bene 33. q. 2. de ineptis: quia si vnum corpus spirituale constitui debet ex episcopo & plebe, tunc cósensus necessarius videtur: vt ibi de matrimonio carnali dicitur, quoniam non dubium inter Episcopum & Ecclesiam matrimonium est. 3. q. 2. audimus, cum similibus.

ſimilibus. Et propterea dicit textus 1.q.1.ordinationes: quòd ordinationes, quæ non fiunt communi conſenſu clericorũ, vel presbyterorum, ſecundum Canonicas ſanctiones, & ab ijs ad quos conſecratio pertinet non comprobantur, falſas eſſe iudicamus: quoniam, qui aliter ordinantur, non per oſtium, id eſt Chriſtum intrant, ſed (vt ipſa veritas teſtatur) fures ſunt, & latrones. Et ratio huius eſt: quoniam conſenſus de eſſentia matrimonij eſt, ut ſuperius habetur. diuerſitas enim ordinum præpoſitorum & ſubiectorum, pro conſeruatione Reip. ordinata eſt: vt dum reuerentiam exhibent minores potioribus, & potiores minoribus dilectionem, vera concordia ex diuerſitate contexeretur: & rectè officiorum generaretur adminiſtratio, vt 89.diſtinction.ad hoc. 45.diſtinct.licet.

Igitur ex cõcordia ſubſiſtit Eccleſia. Quare inuitis præſes non rectè præponitur. de quo pulchrè 83.diſtinct.eſto. Sed oportet quòd ille qui præeſt, ab omnibus quibus præeſt, conſtituatur tacitè vel expreſsè. ſin autem aliter preſumptum fuerit, viribus carere dubium non eſt, quia irritum eſt. 66.diſtinct. archiepiſcopus. qui eſt textus Anitij papæ, qui dicit alibi: Oportet, qui omnibus præeſſe dedet, ab omnibus eligatur.

Et quòd ille textus, archiepiſcopus, qui loquitur de ordinatione, intelligatur de electione, patet in originali, & in Panormia Iuonis, qui dicit: oportet autem, vt ille qui omnibus præeſſe videtur, ab omnibus illis eligatur & ordinetur. Verbum Oportet, eſt verbum neceſsitatis. 50. diſtiã. Domino ſancto.1. aliter nõ poſſe.3.q.6. dudum quod pro præmiſsis.& c.epiſcopo.8.q.1.eſt notãdum. Idem etiam optimè probat c. metropolitanò.63.diſt.& c.Valentianus.

Ordinatio enim ſæpe idem eſt quod electio, 61. diſtinct.ſacerdotibus. Per conſenſum enim eligentium & electi hoc matrimonium conſtituitur: vt no.in c.cum inter Canonicas.de elec.& 63.diſt.quãto.in gloſ. Electio autem conſenſui æquiparatur, vt eſt textus in c. epiſcopos. 63 diſtinct. hoc eſt, matrimonium quod inter eligentes & electum contrahitur: vt notatur in c.1. de tranſla.c.1.ſecundum Inno.per eligentes inter Eccleſiam & electum contrahitur: vt notatur in c.1.de tranſla. De hoc etiam in c. obeuntibus. 63 diſtinct.

Et quia omnis cura reformationis ſtat in hoc, vt præſides, rectores & gubernatores boni conſtituantur: quoniam ſi quæ lex animata eſſe debet in terris, bona nõ eſt, quale periculũ ſubiectis immineat, facilè ſcire

quiſq;

quisq; poteſt. Vnde in conſtituẽdis rectoribus Eccleſiaſticis, qui inuitis dari non debent, diuina præcepta ſunt, vt per electionem procedatur. Et vt paucis contentemur allegationibus, ita ſcribit ſanctus Cyprianus in epiſtola de Martiale & Baſilide, vbi dicit, quòd plebs in ſua poteſtate habet eligendi dignos ſacerdotes, vel in dignos recuſandi: Quod & ipſum (dicit) videmus de diuina autoritate deſcẽdere, vt ſacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur, ſicut in Numeris Dominus Moyſi præcipit: Prende Aron fratrem tuũ & Eleazar filium eius, & pones nos in montem coram omni ſynagoga, & exue Aaron ſtolam eius, & indue Eleazar filium eius: & Aaron appoſitus morietur illic. Coram omni ſynagoga iubet Deus conſtitui ſacerdotem: id eſt, inſtruit & oſtendit ordines ſacerdotales, non niſi ſub populi adſiſtentis conſcientia fieri oportere: vt plebe præſente vel detegãtur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & iudicio fuit examinata. Quod poſtea ſecundum diuina myſteria ſeruatur in Actibus Apoſtolorum, quando de ordinando in locum Iudę, Petrus ad plebem lo-

quitur: Surrexit Petrus (inquit) in medio fratrum discentium, fuit autem turba in vnum. Nec hoc in episcoporum tantùm, & sacerdotum, sed in diaconorum ordinibus obseruasse Apostolos animaduertimus. de quo & ipso in Actibus Apostolorum scriptum est: Et conuocauerunt (inquit) illi duodecim totam plebem discipulorum. Quod vtiq; idcirco tam diligenter & cautè, conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel sacerdotalem locũ indignus obreperet. Hæc ille.

Et Act. 6. super illo tex. glos. dicunt, quod consensum multitudinis quæsiuerunt 12. Apostoli, omnium fidelium qui discipuli vocabantur: & hoc, vt exemplum darent, quoniam hic ordo seruandus est in ordinãdis. Eligere debet populus, & ordinare episcopus. De eodem loquitur sanctus Hiero. & habetur 8. q. 1. licet. & c. si ergo. vbi de hoc. & 21. dist. in nouo. vbi Anacletus papa dicit, de voluntate Apostolorum, Petrum præsidem factum: & quòd Apostoli elegerunt LXXII discipulos.

Vbi licet legatur in epistola Clementis, Petrum misisse episcopos per Gallias, & alias partes: & ita etiã Clementi præcepisse, vt ipse ad alias partes mitteret, quò ipse nõ misisset: & sic omnes patriarchæ, archiepiscopi

ſcopi & epiſcopi, à ſede Apoſtolica egreſsi ſunt. Ita intelligo textum 22. diſt. c. 1: qui fuit Nicolai papæ, qui penè octingentis annis fuit poſt Chriſtũ: licet manifeſtũ ſit, quòd non in omnes partes mundi de Roma miſſi ſint epiſcopi. iam enim erant multi epiſcopi per mundum, antequam Petrus venit Romam, vt eſt manifeſtum: quia Antiochię & Hieroſolymis (& etiam ex illa epiſtola Clementis apparet, qui ſcribit Iacobo Hieroſolymorum, vt ipſe per Oriẽtem mittat) tamen hoc non concludit, Papam ſolum à principio patriarchas ſiue primates conſtituiſſe, vt quidam dicunt ADVLATORES: quoniam tota Eccleſia, ſiue Apoſtoli, qui totam Eccleſiam repræſentant propinquius quàm ſolus Petrus, primates conſtituerunt. 99. diſtinct. nulli. qui textus dicit: Apoſtoli eorumq́; ſucceſſores. neq; concludit, Eccleſijs aliquando fuiſſe præuiſum ſine electione: quia tunc non fuerunt Eccleſiæ, ſed miſsi fuerunt ad ędificandas Eccleſias. & ideo electio locum habere non potuit: quia Eccleſia eligens tunc defecit. Vnde illi miſsi, gerentes figuram Chriſti, ſecũdi Adæ, ex coſta ſua, ſcilicet diuini verbi, ſibi Euam ædificarunt, quam deſponſauerãt: & ſic Euæ genitæ poſt hæc non debatur niſi ſponſus deſideratus. Sic hodie non dubiũ

est, Papam ad partes infidelium prædicato res mittere posse, ad modum Petri vel Clementis: vt hæc probat textus Nulli, suprà allegatus.

Et ita intelligit Hostien. in summa de offic. legat. vbi dum de his quæ sedi Apostolicæ dicuntur reseruata, dicit erectiones cathedralium ad eum spectare. & ideo dicitur, ab ecclesia Rom. omnes dignitates originem sumpsisse. 22. distinct. c. 1. Hæc ille. Ecce ergo patet, electiones de diuino iure esse: præsertim quòd inuito non detur populo episcopus. Et consequenter est contra omnem rationem, dare non expetitum.

Vnde Leo papa 62 dist. Nulla ratio sinit, vt inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sint electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincilibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Ecce tria requirit, ad hoc quòd præses rationabiliter cõstituatur: electionẽ cleri, cõsensum plebis, & iudiciũ metropolitani. & de hoc infinita (vt ita dicam) iura sunt.

Si igitur Ecclesia reformari debet, necessarium est, diuina & naturalia iura, & canonum sanctiones circa materiam electionũ repeti, & amplius seruari. Vnde Siricius papa, de qualitate ordinandorum & eligendorum

rũ,in epiſtola ad orthodoxos per diuerſas prouincias,ſcribit: Cogitantibus nobis me tum diuini iudicij,fratres chariſsimi,&poſt hanc vitam unumquemq; prout geſſerit re cepturum,quid veniat in querelam, tacere non licuit,ſed nos loqui neceſsitas impe- rauit. dicit Propheta: Exalta vt tuba vocem tuam.& cui omnium Eccleſiarum cura eſt, ſi diſsimulem, audiam Dominum dicentẽ: Reijcit is mandata Dei, vt traditiones ue- ſtras ſtatuatis. Quid enim aliud eſt reijcere mandata Dei, quàm priuato iudicio & hu- mano conſilio nouis rebus conſtituendis liberius delectari? Perlatum itaq; eſt ad cõ- ſcientiam Apoſtolicæ ſedis, contra Eccle- ſiaſticum canonẽ præſumi,& quòd ita ſunt à maioribus ordinata, vt ne vel leui ſuſurro debeant violari: proprias quaſdam nouas obſeruationes inducere,& prętermiſſo fun damento ſuper arenã conſtituere velle, Do mino dicente: Nõ transfer terminos, quos poſuerunt patres tui. Quod & ſanctus quo- que Apoſtolus,noui & veteris Teſtamenti prædicator monet,in quo locutus eſt Chri ſtus: State(inquit) & tenete traditiones veſtras, quas didiciſtis ſiue per verbum, ſi- ue per epiſtolam. Et infrà: De quo, chariſsi mi, mihi ante veſtram ſinceritatem huiuſ- modi literæ cucurrerunt,multo fratrum &

sacerdotũ cõsensu, vt hac nostra subscriptione firmata Ecclesiasticorum Canonum dispositio, quæ apud Niceam tractata & confirmata est, suo merito fundatissima permaneret. Hæc ille.

Ecce quod contra mandatum Dei est, reijcere canones. Vnde licet Romanus pontifex aliquando pro necessitate vel vtilitate Ecclesiæ, laxare posset præcepta Canonica: quæ nullatenus mutilanda sunt, his casibus cessantibus, vt hoc Iuo & Gelasius dicunt, 1. q. 7. c. & si Gelasius. & c. quod pro remedio: tamen omnia iura electionis tollere penitus, & suæ dispositioni reseruare Ecclesiasticarum rerum dispositionem, puto Papam non posse: quoniam electio diuini & humani iuris est: & præceptum Dei est, cui Papa obedire tenetur, qui terminos patrum transferre non debent. faciunt ea quę notãtur 14. distinct. sicut. & 1. q. 7. nisi rigor. & 25. q. 1, sunt quidam. quoniam in totũ tollere non potest: contra quod ex causis prætactis dispensat.

Et quia per tacitum consensum totius Ecclesiæ Romani pontifices reseruationibus factis vsi sunt, nec sunt dati episcopi repudiati & reprobati, sicut tamen meo iudicio reprobari poterant: tunc in consensum trãsiuit taciturnitas, quod sufficit pro titulo

eorum

eorum qui præfecti sunt:taciturnitas pro cõsensu habetur,vt tractatur in regula, Qui tacet.Et hoc casu, quando non opponitur, vt notat glos.antiqui ca. nosse. 63. distinct. qui dicit.In publico negocio qui se non opponit,cum posit,consentire intelligitur.& ca. eligendo pastorem, intelligitur contrahere sponsalia Ecclesiæ. Vnde cum Ecclesia non reclamauerit,intelligitur consentire:velut si pater contrahat spõsalia filiæ suę, si tacet,consentire intelligitur.Hæc ibi.

Et idem Archi.25.dist.episcopus sine.Sic in proposito, si Papa supplet locum patris & dat sponsum,& etiam tacet,&recipit,cõsensus intelligitur.Ita dicit Lau.c. episcopus.24. dist.vbi cum textus diceret, quòd episcopus sine concilio clericorum suorũ, clericos non ordinet, ita vt ciuium conniuentiam & testimonium quærat.dicit Lau. conniuentia, id est, consensus: quem eo ipso dicuntur habere, quòd sciunt, & non contradicunt.§.fo.ma.l.2.ff.voluntatem. & hoc probat textus,cũ Adrianus 63.distinct. coniuncta glos. super verbo Ad salutandũ, qui dicit:Argumentum esse eos consensisse electioni, ex quo interfuerunt,& eum salutauerunt, & non reclamauerunt: & eo quòd qui salutat alium,videtur consentire ei.24.q.1.omnes.

Nunc autem exorbitantia ob uarias læsiones, displicere incipit, & oritur contradictio. quare puto Papam amplius non posse generaliter reseruare electiua beneficia, nisi ei exprsſè indulgeretur per hoc sacrum concilium, attenta contradictione exorta. Papa enim inuitis episcopum dare non potest, vt probat text. in nouo. 21 dist. vbi dicitur, Petrum voluntate Apostolorum prępositum. & glos. arguit ex textu, Papam episcopum dare non debere, nisi volentibus. 22. dist. sacro inter beatos. 8. q. 1. licet. & c. audaciter faciunt. quæ suprà ponuntur. Et dicit Archid. post Ioã. de Deo. C. in nouo. qd' Petrus ante resurrectioné electus fuit in principem per Christum: sed distulit confirmationem post resurrectionem, vt discipuli, quibus præesse deberet, præberent assensum in typum electionis faciendæ, quum nemo inuitis dari debeat. 61. distinct. null9.

Vnde videtur irrita esse, nisi consensus interueniat, per c. obeuntibus. 63. dist. vbi text. Quod illud quod absq; eorum consensu ac conniuentia factum fuerit, irritum esse. & ad idem 66. dist. archiepiscopus. hoc bene probatur. & ad hoc glos. super verbo Conniuentia, in c. obeuntibus. quæ dicit argumentum ex tex. Quod si: Quod aliquorum consensu fieri debet, eorum dissensu

dissoluitur

dissoluitur factum.l. 1. dist.qui in aliquo. 30. q.2.si verùm.62. dist.nulla ratio.1. q.1.ordinatiões.10.q.2.casellas.12.q.2. alienationes. & c.siue. 15. q. 7. episcopus nullius .23. q. 5. quod ideo.& c.manifestum. 20.q.2. puella.

Et posset vna ratio fortis assignari, cur consensus ex alio fudamento sit necessarius. Manifestum est, scientiam legis ex ore sacerdotum requiri: Malachiæ 2. ac insuper ex falsa doctrina, quæ ex ignorantia vel malitia sacerdotis seminaretur, populum non excusari. Vnde si non deberet populi consensus interuenire in præside, iniustè puniretur ex ignorantia vel malitia sacerdotis, iuxta præmissa: quum ad eius præsidentiam eorum consensus nunquam interuenit. nihil enim potest tunc ipsi populo imputari. Quare salus publica exigit, per electionem & consensum prẹsides fieri. Hactenus Cusanus.

¶ HACTENVS testimonia satis multa tũ ex sacra Scriptura, tũ ex patrũ monumentis, itemq; ex Conciliorum & Pontificum decretis, nec non & Cæsarum sẽtẽtijs & constitutionibus adduxi, ostendens, electionem omni iure esse non solùm Clericorum, sed simul quoq; Laicorum, cùm nobilium tum ignobiliũ. Nunc porrò (Deo iuuante) etiam alia quædam adiungam,

quibus demoſtrabo, id ipſum multo etiam tempore fieri fuiſſe ſolitum: vt clarè pateat quòd non ſolùm diuino ac humano iure electio epiſcoporum pertineat ad Laicos, ſed quòd ipſa poſſeſsione quoq;, ipſoq; facto multis admodum ſeculis eam occupauerint, &ſine contradictione vſurpauerint.

Quòd ergo populus Apoſtolorum temporibus vota ſuffragiaq; ſua in eligendo aliquo ſacerdote aut epiſcopo clero coniunxerit, ſuprà ex Apoſtolorum actis eſt demonſtratum. Quòd item poſt Apoſtolorũ tempora idem mos in primitiua Eccleſia ſit ſeruatus, teſtimonijs Cypriani ſuprà oſtendimus.

Deinde quòd electio 400, imò & 500 & 600 annis poſt Chriſtum ſit facta à Laicis, prolixè ſuprà Hieronymo, Ambroſio, Paulo Diacono, papa Leone, Cœleſtino, Gelaſio & Bonifacio audiuimus. Quod deniq; etiam deinceps 700 ac 800 annis poſt Chriſtum ita obſeruatum ſit, ſuprà ex epiſtolis Hadriani pontificis ad Imperatorem Carolum Magnum cognouimus,

Habentur etiamnum epiſtolæ quædam Hattonis, abbatis cuiuſdam Fuldenſis, deſcriptæ in membranis, in quibus ad Leonẽ papam ſcribit, quòd celebris ille Rabanus Maurus archiepiſcopus Moguntiæ, etiam

Laicorum

Laicorum & Clericorum vnanimi consensu sit creatus episcopus, tempore Caroli Magni.

In Platina, alijsq; vitarum papalium scriptoribus, de compluribus pontificibus legitur, quòd à totó Clero, totoq; Populo Romano sint electi: quos hic enumerare nimis longum foret, & non necesse. Ante annos autem circiter 300, electio pontificum in solos Cardinales est translata. Quod ergo iuris fuit plebi Romanæ in eligendo suo episcopo, hoc proculdubio est & alijs.

D. item Gregorius per literas mandat Ioanni suo subdiacono, vt eat ac exploret, vtrum omnes ciues Mediolanenses unaniter sibi elegissent episcopum Constantinum, nec ne. Nisi enim ita esset, non esse eũ ordinandum. distinct. 63. Eodem etiam loco Decreti, similiter decernunt Gelasius, Stephanus, Nicolaus, Pelagius, & de compluribus designatis episcopis scribunt, non esse eos ordinandos, nisi prius legitimè sint electi à tota plebe.

Rationem verò aut formam huius consuetudinis significat Isidorus in libro Officiorum, qualis nempe ea suis temporibus, hoc est, ante annos 700 fuerit, hisce verbis, Canone 20, distinct. 63. Si in plebibus archi episcopi obierint, aut pro aliquo reatu ex-

inde eiecti fuerint: archidiaconus quàm citius proficiſcatur illuc, & cum clericis & populis ipſius plebis electionem faciat, quatenus dignus paſtor domui Dei conſtituatur: & dum ordinatur eius prouidentia, ipſa plebs cuſtodiatur.

Suprà etiam, vbi de iure electionis actũ, recitata eſt ſententia epiſtolarum Hincmari archiepiſcopi Remenſis: verùm eæ huc quoq; ad vſum aut conſuetudinem electionis pertinent.

Præterea poſſunt alia complura teſtimonia veterum Agendarum & Pontificalium huc adſcribi, quorum vſus ante noſtra tempora fuit in Germania: ex quibus liquidò perſpici poteſt, electionem epiſcoporum & ſacerdotum fuiſſe penes populum ſiue Laicos. Sed verba aliqua huc bona fide adſcribam, quæ etiam, ſicut & Hincmari Catalogo meo inſerta ſunt.

¶ Dominis patribus N. venerabilibus ſcilicet Epiſcopis diocœſeos metropolitanæ, clerus, ordo & plebs, huic ſanctæ Eccleſiæ ſpecialiter obſequentes. Veſtræ paternitati eſt cognitum, quantum temporis eſt, ex quo accidentibus varijs euentibus hæc ſancta Eccleſia metropolis noſtro ſit viduata paſtore, ac deſtituta rectore. Quod non ſolùm ad noſtrum, verùm ad veſtrum ac

omnis

omnis diocœseos detrimētum pertinere di gnoſcitur, cum totius prouinciæ ſollicitudinem metropolitano cōſtet eſſe commiſſam. Propterea eligimus huius diocœſeos, huius Eccleſiæ præsbyterum, nomine N. nobis ſufficientiſsimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apoſtolica & Eccleſiaſtica diſciplina imbutum, fide catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem moribus temperatum, vita caſtum & ſobrium, humilem, affabilem, miſericordem, literatum, in lege Dei ſic inſtructum, in Scripturarum ſenſibus cautum, in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatum, & ſecundū Scripturarum tramitem, traditionemq́ue Orthodoxorum & Canonum & Decretorum, ſedis Apoſtolicę prę ſulum conſtitutiones, ſano ſenſu eccleſiaſticas regulas intelligentem, ſanoq; ſermone docentem ac ſeruātē, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, & cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt: & ſi qui ſanæ doctrinæ aduerſantur, eis reſiſtere & redarguere præualentem, hoſpitalem, modeſtum, ſuæ domui bene præpoſitum, non neophytum, habentem teſtimonium bonum, in gradibus, ſingulis ſecundum traditionem Eccleſiaſticam miniſtrantem: ad omne opus bonum & ſatisfactionem, omni

poſcenti rationem de ea quæ in illo eſt ſpe, paratum. Quem nobis quãtocyus petimus ordinari pontificem, quatenus autore Domino regulariter nobis præeſſe valeat, & prodeſſe, & nos ſub eius regimine ſalubriter Domino militare poſsimus. Quia integritas præſidentium, ſalus eſt ſubditorum: & vbi eſt incolumitas obedientiæ, ibi ſanæ eſt forma doctrinæ. Vt autem omnium noſtrorum vota in hanc electionem conuenire noſcatis, huic decreto Canonico promptiſsima voluntate ſinguli manibus propriis laborantes ſubſcripſimus.

Item Subſcriptio epiſcoporum in electionem epiſcopi.

¶ Ille illius Eccleſiæ archiepiſcopus, in electionem Domini N. Eccleſiæ Ill. epiſcopi ſubſcripſi. Iſti in ordinationẽ illius Eccleſiæ epiſcopi, ipſo conſentiente ordinati cõſenſerũt, qđ præſens inſcriptio manifeſtat.

Et paulo pòſt ſequitur rubrica: Tunc aduocantur in baſilicam præsbyteri à dextris eius, & diaconi à ſiniſtris. Ipſe verò inclinato capite, in medio eorum incedit, vſque dum veniat ante altare: tunc exuatur caſula, & induat eum Pontifex planeta, & legat breuem hũc modum continentem: Ciues, inquit, noſtri elegerũt ſibi hunc paſtorem. Oremus itaq; Deum pro hoc viro, vt Deus omnipo-

omnipotens infundat in eum gratiam ſpiritus ſui, vt dignus habeatur ad cathedram epiſcopatus regendam. Et reſpondetur à Schola: Chriſti audi nos. & cantatur Letania, &c.

Ex eiſdem Pontificalibus, quòd etiam ſacerdotes à Plebe eligi oportuit.

¶ Et alloquatur populum ſequentibus verbis, pro ordinando præsbytero: Quemadmodum, dilectiſsimi fratres, rectori nauis & nauigio deferendis eadem eſt vel ſecuritatis ratio, uel timoris: ita communis eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit. Nec fruſtra à patribus reminiſcimur inſtitutum, vt de electione eorum qui ad regimen altaris adhibendi ſunt, CONSVLATVR ET POPVLVS: quia de actu, & de conuerſatione præſentandi, quod nõnũquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis: & neceſſe eſt, vt facilius quis obedientiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuit ordinando. Fratrũ noſtrorum & presbyterum N. conuerſatio, quantum mihi videtur, probata, ac Deo placita eſt, & digna (vt arbitror) Eccleſiaſtici honoris augmento: ne vnum fortaſſe vel paucos ac decipiat aſſenſio, aut fallat affectio, ſententia eſt expetenda multorũ. Itaque quid de eorum moribus aut actibus

noueritis, quid de meritis cõsentiatis, Deo teste consulimus. Debet hanc fidem charitas vestra habere, quam secundum præceptum Euangelij & Deo exhibere debetis, & proximo; vt hic testimonium sacerdotij magis pro merito, quàm affectione aliqua tribuatis. Et qui deuotionem omnium expectamus, intelligere tacentes non possumus. Scimus tamen, quòd est acceptabilis Deo, aderit per Spiritum sanctum consensus vnus omnium animorum: & ideo electionem vestram debetis publica voce profiteri. Illis autem profitentibus, dicat eis episcop9, qui ad præbyterij gradũ prouehendi sunt, &c.

Rubrica ex veteri Pontificali Moguntino, de ordinatione episcopi.

¶ Ita quoq; examinatus & plenè instructus cum consensu Clericorum & Laicorũ, ac conuentu totius prouinciæ, episcoporũ, maximeq; metropolitani authoritate aut presentia ordinetur. Nullus inuitis detur episcopus: cleri, plebis, & ordinis consensus & desiderium requiratur. His ita peractis, duo episcopi cooperatores ordinis sacri reducunt electum in sacrarium.

Et paulo pòst sequitur sermo metropolitani ad plebem & clerum.

Seruanda est, dilectissimi fratres, in excessu

cessu sacerdotum lex, & antiqua Ecclesiæ consuetudo, vt decedentib. alijs, quiq; dignissimi subrogentur, per quorum doctrinam fides catholica & religio Christiana subsistat, ne in ouile Domini prædo violentus irrũpat, & dispersas absq; pastore oues fur nocturnus inuadat. Recepto itaq; dispẽsatione Dei, sacerdote nostro: sollicitè vobis agendum est, vt in locum defuncti talis successor præparetur Ecclesiæ, cuius peruigili cura, & instanti sollicitudine ordo Ecclesiæ credentium fides in Dei timore melius conualescat, qui (præcipiente Apostolo) in omni doctrina formam boni operis ipse præbeat: cuiq; habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina, virtus sit, qua nos vt pastor bonus instruat, exemplo patientiæ doceat, doctrina religionis instituat, & in omni opere bono confirmet charitatis exemplo. Secundum igitur voluntatem Domini in locum sanctę memoriæ illius, nomine Ill. virum. venerabilem testimonio præsbyterum, & totius cleri consilio, ciuium & consistentium, credimus eligendum: virum (vt nostis, natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, humilem, castum, pacificum, patientem, charitatem habentem, tenacem in cunctis quæ in sacerdote eligẽda

ſunt,bonis operibus exuberantē. Hunc ergo dilectiſsimi fratres teſtimonio boni operis electū,digniſsimū ſacerdotio conſonantib. laudibus clamate & dicite: Dignus eſt.

¶ Id certè euidens teſtimoniū eſt,qđ præbēt ipſi Pōtificales libri (quos re poſtulāte exhibere poſſum) eiuſmodi praxin & morē viguiſſe in eccleſia,vel eā fuiſſe rationē eligēdi & ordinādi ſiue inautorādi præsbyteros.

Habeo inſuper Agendam, temporibus Ottonis tertij conſcriptam aut compoſitā (facit enim aliquoties eius mentionem in orationibus) quæ eandem rationem eligēdi & conſecrandi epiſcopi comprobat: vt nullum prorſus ſit dubium, quin ſummi illi & celeberrimi Imperatores Ottones,à quibus Madeburgenſis archiepiſcopatus alijque complures fundati ſunt, vbiq; hunc ordinem ſeruandum ſanciuerint.

Platina quidem perſæpe meminit in ſuis Pontificum vitis, omnino oportuiſſe deſignari epiſcopum tam Romanum, quàm alios etiam à Laicis.

Sunt præterea & alij nō pauci Madeburgenſes archiepiſcopi coniunctis uotis cùm Clericorum tum Laicorum electi: ſicuti in Chronico Madeburgenſi & vitis epiſcoporum diſertè dicitur de Henrico Notkero, Nordberto & Conrado:quod tū ex Crantzio, tum

zio, tum ex vitis episcoporum, tum deniq; & ex historia ciuitatis Madeburgẽsis patet.

Cum primis verò notandum est, quòd, cum non posset conuenire inter ciues Madeburgenses de electione Nordberti, primores populi & sacerdotum coacti sint Spiram ire, ibiq; coram Cæsare & legatis Pontificijs electionem facere consentientibus sententijs. Inde enim liquidissimè apparet, plebem omnino habuisse ius & potestatem eligendi episcopum. Præter hos quatuor autem episcopos Madeburgẽses, significat Chronicõ, tres alios episcopos cũ à Clericis, tũ à Laicis fuisse electos: q tamẽ alias ob causas non sunt admissi ad gubermationẽ.

Adhæc testatur Chronicon Madeburgẽse, statim initiò tertium episcopum Dageno nomine, à Cæsare quidem fuisse datum & constitutum: sed non præter consensum & suffragia tum Clericorum, tum Laicorũ.

Vnde animaduerti potest, Laicos statim initiò habuisse potestatem ac ius vel eligẽdi, approbandiq; episcopum, vel etiam repudiandi: sicut suprà quoq; dictum est, eam fuisse mentem & voluntatem Ottonis Cæsaris, & eius episcopatus fundatoris, quòd electio episcoporum etiam ad Laicos pertineat.

Suprà iam significatum est, Eugenium

tertium ante annos 400 Bullam ſcripſiſſe, de Guicmano archiepiſcopo Madeburgenſi, qui in ordine fuit 16 epiſcopus, quòd omnino neceſſe ſit etiam Laicos adhiberi ad electionem epiſcopi.

Quod quidem illuſtre teſtimonium eſt, ciues Madeburgenſes ac alios, & habuiſſe ſemper poteſtatem ſuum eligendi epiſcopum, & vſos quoq; ea poteſtate fuiſſe inde vſq; à tertio epiſcopo Dageno ad decimũſextum: hoc eſt, quatuordecim ipſos continenter elegiſſe epiſcopos. Id inquam clarũ eſt teſtimonium, ex hiſtoria deſumptum: ſine dubio verò etiam porrò hanc habuerũt poteſtatem. Mortuus autem eſt hic decimus ſextus archiepiſcopus, anno Domini 1193. vt certò inde conſtet, populum eius ciuitatis tanto tempore retinuiſſe eam poteſtatem deſignandi epiſcopum.

Quæ verò deinceps fuerit ratio electionis Madeburgenſis, ſcire non poſſum: coniectari tamen haud obſcurè licet, quòd circa annum Domini 1200, Canonici ipſis hãc poteſtatem ſenſim imminuere incœperint, pòſt etiam violentius eos illa ſpoliauerint. Excreuit enim, & ſubinde maiores vires aſſumpſit tyrannis Papæ & ſuorum, aduerſus miſeram Plebem & Laicos: attamen adhuc anno Domini 1368 licitum illis fuit, & conceſſum,

ceſſum, intercedere pro aliquo, & admonere Canonicos: imò & apud ipſum Pontificẽ ſcriptis ſuis promouere epiſcopum: ſicut & antea vſitatum fuerat, eligentes ad Pontificem ſcribere de epiſcopo deſignato. Quòd verò hæc ipſorum poteſtas etiam tum adhuc apud Canonicos aliquid authoritatis habuerit, apparet ex electione Friderici epiſcopi, qui electus fuit Anno Dñi 138, vt in Chronico Madeburgẽſi porrò videre licet.

His ſimilia etiam in Chronico Halberſtatenſi, & aliorum epiſcopatum leguntur de multis epiſcopis, qui etiam ſimul electi fuere à Clericis & Laicis.

Auentinus quoq; de compluribus epiſcopis Ratisbonenſibus ſcriptum reliquit, quòd & ipſi tũ à Laicis tũ à Clericis fuerint electi. Vide quoq; Friſing. libro ſecũdo, capite vigeſimo octauo.

Similiter & in alijs hiſtoricis, de epiſcopis aliorum locorum copioſè leguntur teſtimonia.

Vrbanus Papa, qui ante annos 450 ſede Põtificia potitus eſt, celebrat Iuonem, quẽ inter cætera dicit legitimo ordine, canonicè, ſimulq; tum à Laicis, tum à Clericis fuiſſe electum.

Fuit hic Iuo inſignis theologus & Canoniſta, adeò quidem, vt ipſe peculiare & pro

prium Decretum nomine Panormiã, ante Gratianum scripserit, quod & typis fuit excusum. Iam verò si electio non etiam iure pertinuisset ad laicos, nequaquam tantopere de laicorum electione fuisset gloriatus, multo verò minus Papa ipsum hoc nomine collaudasset.

Quia verò hic de Iuone incidit mentio, illud etiam dignissimum obseruatu videtur, quòd scriptum ipse reliquit epistola C I I: quòd non solùm Carolus Magnus, & filius ipsius Ludouicus, sed multæ etiam synodi illorum temporum, decreuerint, & sanciuerint, electionem episcoporum simul pertinere ad totum populum. Quòd sanè præclarum testimonium est.

Habeo etiam librum quendam epistolarum Petri Cluniacensis abbatis, qui vixit ante annos 450. qui aliquoties meminit Laicorum electionis, tanquam moris perueteris & boni, suoq; tempore vsitatissimi. Scribit enim ad Innocentium papam, quocum optima sibi intercesserat noticia, commendans ipsi quendam Eliam nomine, qui futurus erat episcopus Aurelianensis: petitq;, vt Pontifex eum velit ordinare, & inter alias causas hanc quoq; affert, quod à Clericis & Laicis suę diœcoseos sit electus.

Interrogatus item hic Petrus à D. Bernhard-

hardo, num Henricus quispiam nomine, habendus sibi sit legitimus episcopus? respondit: Omnino, cum legitimè vocatus sit à suo Clero & Laicis, &c.

Suprà audiuimus, Bullam Eugenij, quę pręcisè ante annos 400 scripta est, adeò magnificè & splendidè de electione Laicorum differentem, ac si tunc temporis id ius prorsus non fuisset vocatum in dubium, aut etiã inclinare cœpisset, sed potius in summo vigore floruisset: vt ita nullum prorsus dubium relinquatur, quin etiam deinceps diutissimè ea durauerit ratio ac consuetudo electionis.

Gregorius IX scribit in suo Decretali de elect. & el. p. ca. Messana, vsq; ad sua tempora defluxisse hunc morem eligendi: episcopos etiam à Laicis eligi. tametsi ipse eum morem improbare videatur. Vixit autem ante annos 300.

Eiusdem integra epistola ad archiepiscopum Bremensem, & episcopum Vuerdensem, in quodam Chronico extat: vbi narrat, quendam postulatum esse ad episcopatum Suerinensem, votis tam celri quàm populi concurrentibus in eundem, illumq; iubet confirmari. Vnde itidem consuetudo electionis Laicorum apparet. Eadem epistola habetur etiam in Metropoli Crantzij lib. 8

cap.3. Vixit autē is Grego. ante annos 300.

Scribit etiā Auentinus adhuc ante annos 300, plebem Ratisbonensem sibi elegisse episcopum. Si itaq; ciues Ratisbonenses, etiam tum temporis adhuc hoc iure vsi sunt; prorsus non est dubitandū, etiam alias ciuitates, in quibus fuerunt Cathedræ episcopales, similem potestatem habuisse.

Quare nullum prorsus est dubium, quin electio ante annos 300, & deinceps quoq; aliquandiu à Laicis citra omnem controuersiam sit factitata. Quo verò tempore Antichristus, vnà cum impuris suis sacrificulis, reliquis Christianis, qui Laici vulgò vocantur, hoc ius nefariè ademerit, non equidem habeo quod certò affirmem. Auentinus putat, sub Imperatore Friderico huius nominis secundo, hoc est, intra annos 300 (cum Papa, nulla habita prorsus ratione æquitatis, ipsius Dei & omnis honestatis, pium illū Cæsarē excuteret & opprimeret, testantibus id ferè omnibus historicis) hoc malum primum cœpisse, & ingruisse.

¶ Ostendi itaq; hactenus de plurimarum historiarum & testium sententia, quòd electio inde vsq; à Christi temporibus, propè ad hæc nostra (demptis scilicet proximis 250, uel vt plurimum 300 annis) non tantū ad clericos, sed & ad Laicos pertinuerit. &

apud

apud vtrosq; simul in vsu fuerit. Quocirca etiamnum iure & meritò, imò necessariò ita fieri debere, omnes verè pios firmiter statuere existimo: neq; etiam video, quid tandem ferme Papistæ huic sententiæ opponere possent. Nam & scriptura sacra, & patrum monumenta, itemque Concilia, Pontifices & Cæsares, adhæc inueterata quoque ecclesiæ Dei consuetudo seu vsus perquam diuturnus, vtpotè qui vltra 1300 annos permansit intemeratus, nostras tuentur in hoc negocio partes: quòd nimirum electio episcoporum planè ad Ecclesiam, hoc est, ad totum cuiusq; loci populum pertineat. Iam verò Canonicorum factio, cunctis non solũ Laicis, sed & sacerdotib prorsus eam potestatem eripuit, sibiq; soli (quæ sanè numero est perexigua) fraudulenter rapuit, prętet omne (quod memorauimus) tam diuinum ius quàm humanum.

Sæpe multumque vociferantur Papistę, maximè verò ipsorum spirituales, contra nos, audiendos esse Patres, Concilia, Canones, traditiones Apostolicas, diuturnas cõsuetudines, &c. Egregiè scilicet illi cùm hac in re, tum in alijs quoque religionis partibus compluribus, pristinos ritus obseruãt. Sed omnino meritò etiam hac in re vetus illa & diuturna consuetudo restituẽda esset:

è contrà deteſtanda hæc & pernicioſa Papiſticæ tyrannidis nouitas, qua vehemẽter Germaniam oppreſsit, prorſus abroganda.

Quid igitur impuriſsimi illi ſacrificuli opponerent, præter violentam, peſsimæq; fidei præſcriptionem ducentorum, aut ad ſummum trecẽtorum annorum, ex eo quo hac poteſtate Laicos, ſpreto Deo, & Eccleſiæ antiquæ vſu, omniq́ue æquitate, exuerunt, non video: tametſi & ipſis hæc ipſorũ poſſeſsio, imò detentio potius aut rapina, ſæpe eſt interpolata. Modò enim Papa violenta manu eam ſe rapuit, modò Magiſtratus, modò etiam Canonici appetiuerunt. Interdum quoq; res eſt tranſactionibus cõpoſita, ita vt Papa vno ea frueretur ſemeſtri, Canonici verò altero: veluti nunc fit. Vnde ſunt menſes (quos vocant) Papales, niſi quòd interdum Papa ipſorum electiones & poſtulationes, ſimul ſub prætextu alicuius confictæ cauſæ, irritas faciat, & epiſcopatum, in quem vult, ſuo arbitrio transferat, indeq́; argentum cudat?

Sed ad infringendam hanc præſcriptionem, primũm ſciendum eſt, quòd haud bona fide in huius poteſtatis poſſeſsionem ſacrificuli irruperint: ſed quemadmodum alioquin Papa, per fas atque nefas, Cæſares, Reges & Principes, quin & totum Imperiũ Romanum

Romanum,& (quod magis eſt) vniuerſum Chriſtianum orbem,ſola ui & maliginis fabricis ac doctis dolis oppreſsit, pedib. proculcauit,deſpoliauit,deglubit,& inſtar ſtrigarum exuxit:ita etiam ſtrenuè eum ſecuti ſunt eiuſdem farinæ epiſcopi,Pręſules, Canonici, & reliquum boni iſtius Vlyſsis remigium.ſicut teſtatur amarulētum,crebroque ab ipſis vſurpatum dicterium:Mundus vult vexari aut decipi,ideo vexandus quoque eſt,& decipiendus. Vnde animaduerti poteſt,hanc ipſorum poſſeſsionem non iuſtiore titulo,& fide meliore cœpiſſe, quàm cum fur aut prædo alteri bona ſua ſuffuratur,aut per vim eripit.

Deinde nec citra contradictionem quidem aliorũ, huius poteſtatis poſſeſsionem continuarũt,uelut ſuprà indicatũ eſt: quòd nimirũ Papa (ſicut & politici tyranni) perpetuò cum ipſis ea de re dimicauerit: quodque etiam ciues iam intra 300 annos poteſtatem habuerunt literis & authoritate ſua intercedere atq; commonefacere , de eo qui ipſis maximè probaretur:idque tum apud Canonicos,tum & apud Papam.

Tertiò:licet Canonici iuſto titulo bonaque fide ſoli poſſediſſent ius electionis,attamen adeò turpiter ea ſunt abuſi, eligendo nimirum pueros, aut alioquin homines ad

Ecclesiastica & ciuilia munera prorsus ineptos vel etiam impurissimos ac scelestissimos, itemq; aliorum fauorem, aut sanctum denarium, quod dicitur, largitionesq; aucupando (quemadmodum id non paucis exemplis comprobari potest) vt meritò hæc illis tandem potestas adimeretur, iuxta regulam Iuris: priuilegio suo qui abutitur, is iure illud amiserit.

Quartò: Nec potest vallere vlla in huiusmodi negocijs præscriptio, quæ insurgit contra ius diuinum. Iure enim ac meritò vni Deo cedunt omnes homines: & per iusticiam ac voluntatem ordinationis diuinæ meritò derogatur omnibus alijs legibus & iuribus, siue eæ sint de præscriptionibus, siue de rebus alijs quibuscunq;, quamprimum scilicet error quispiam hominibus innotescit. Suprà autem demonstratum est, eam potestatem eligendi pastores ac episcopos traditam esse Ecclesiæ, vnà cum clauibus, ab ipso Christo, tanquam dilectæ ipsius spōsæ. Quāobrem nulla hic est prorsus admittenda præscriptio, nec si vel centies mille annos durasset. alioqui enim omnes Idolomaniæ vetustæ, ipseque Ethnicismus ac Iudaismus, & denique Mahometismus rectè tolerarentur. Ac in eiusmodi rebus ad religionem spectantibus plurimùm ponderis habet

habet id quod dici solet: *Tausent Iar vnrecht, war nei kein stund recht*: Error annorum centum, nõ ualet vel momentũ, iuxta regulas. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio nõ subsistit. &, Quod initio uiciosum est, tractu temporis non potest con ualescere.

Huc referãtur illa planè aurea sanctorũ pa trum dicta, pro vero præsertimq; diuino iu re, contra omnem consuetudinem, quantumuis longam & multorum hominum, quæ etiam in Decreto distinctione VIII re censentur, quæ hic ordine adscribenus.

Aduersus naturale ius nulli quiquã agere licet. canon III.

Quæ contra mores hominum sunt flagitia pro morum diuersitate sunt uitanda, vt pactum inter se, gentis aut ciuitatis consuetudine vel lege firmatum, nulla ciuis aut pe regrini libidine violetur: turpis est enim omnis pars vniuerso suo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem, vel contra pactum quorumlibet iubet fieri: & si ibi nunquam factum est, tamen faciendum est: & si omissum est, restaurandum est: & si statutum non erat, instituendũ est: si enim regi licet in ciuitate cui regnat iubere aliquid quod neq; ante ipsum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & si non est cõtra

tertium ante annos 400 Bullam ſcripſiſſe, de Guicmano archiepiſcopo Madeburgenſi, qui in ordine fuit 16 epiſcopus, quòd omnino neceſſe ſit etiam Laicos adhiberi ad electionem epiſcopi.

Quod quidem illuſtre teſtimonium eſt, ciues Madeburgenſes ac alios, & habuiſſe ſemper poteſtatem ſuum eligendi epiſcopum, & vſos quoq; ea poteſtate fuiſſe inde vſq; à tertio epiſcopo Dageno ad decimũſextum: hoc eſt, quatuordecim ipſos continenter elegiſſe epiſcopos. Id inquam clarũ eſt teſtimonium, ex hiſtoria deſumptum: ſine dubio verò etiam porrò hanc habuerũt poteſtatem. Mortuus autem eſt hic decimus ſextus archiepiſcopus, anno Domini 1193. vt certò inde conſtet, populum eius ciuitatis tanto tempore retinuiſſe eam poteſtatem deſignandi epiſcopum.

Quæ verò deinceps fuerit ratio electionis Madeburgenſis, ſcire non poſſum: coniectari tamen haud obſcurè licet, quòd circa annum Domini 1200, Canonici ipſis hãc poteſtatem ſenſim imminuere incœperint, pòſt etiam violentius eos illa ſpoliauerint. Excreuit enim, & ſubinde maiores vires aſſumpſit tyrannis Papæ & ſuorum, aduerſus miſeram Plebem & Laicos: attamen adhuc anno Domini 1368 licitum illis fuit, & conceſſum,

cessum, intercedere pro aliquo, & admonere Canonicos: imò & apud ipsum Pontificẽ scriptis suis promouere episcopum: sicut & antea vsitatum fuerat, eligentes ad Pontificem scribere de episcopo designato. Quòd verò hæc ipsorum potestas etiam tum adhuc apud Canonicos aliquid authoritatis habuerit, apparet ex electione Friderici episcopi, qui electus fuit Anno Dñi 138, vt in Chronico Madeburgẽsi porrò videre licet.

His similia etiam in Chronico Halberstatensi, & aliorum episcopatum leguntur de multis episcopis, qui etiam simul electi fuere à Clericis & Laicis.

Auentinus quoq; de compluribus episcopis Ratisbonensibus scriptum reliquit, quòd & ipsi tũ à Laicis tũ à Clericis fuerint electi. Vide quoq; Frising. libro secũdo, capite vigesimo octauo.

Similiter & in alijs historicis, de episcopis aliorum locorum copiosè leguntur testimonia.

Vrbanus Papa, qui ante annos 450 sede Põtificia potitus est, celebrat Iuonem, quẽ inter cætera dicit legitimo ordine, canonicè, simulq; tum à Laicis, tum à Clericis fuisse electum.

Fuit hic Iuo insignis theologus & Canonista, adeò quidem, vt ipse peculiare & pro

prium Decretum nomine Panormiã, ante Gratianum ſcripſerit, quod & typis fuit excuſum, Iam verò ſi electio non etiam iure pertinuiſſet ad laicos, nequaquam tantopere de laicorum electione fuiſſet gloriatus, multo verò minus Papa ipſum hoc nomine collaudaſſet.

Quia verò hic de Iuone incidit mentio, illud etiam dignißimum obſeruatu videtur, quòd ſcriptum ipſe reliquit epiſtola C I I: quòd non ſolùm Carolus Magnus, & filius ipſius Ludouicus, ſed multæ etiam ſynodi illorum temporum, decreuerint, & ſanciuerint, electionem epiſcoporũ ſimul pertinere ad totum populum. Quòd ſanè præclarum teſtimonium eſt.

Habeo etiam librum quendam epiſtolarum Petri Cluniacenſis abbatis, qui vixit ante annos 450. qui aliquoties meminit Laicorum electionis, tanquam moris perueteris & boni, ſuoq; tempore vſitatißimi. Scribit enim ad Innocentium papam, quo cum optima ſibi interceſſerat noticia, commendans ipſi quendam Eliam nomine, qui futurus erat epiſcopus Aurelianenſis: petitq;, vt Pontifex eum velit ordinare, & inter alias cauſas hanc quoq; affert, quod à Clericis & Laicis ſuę diœcoſeos ſit electus.

Interrogatus item hic Petrus à D. Bernhardo

hardo, num Henricus quispiam nomine, habendus sibi sit legitimus episcopus? respondit: Omnino, cum legitimè vocatus sit à suo Clero & Laicis, &c.

Suprà audiuimus, Bullam Eugenij, quę pręcisè ante annos 400 scripta est, adeò magnificè & splendidè de electione Laicorum differentem, ac si tunc temporis id ius prorsus non fuisset vocatum in dubium, aut etiã inclinare cœpisset, sed potius in summo vigore floruisset: vt ita nullum prorsus dubium relinquatur, quin etiam deinceps diutissimè ea durauerit ratio ac consuetudo electionis.

Gregorius IX scribit in suo Decretali de elect. & el. p. ca. Messana, vsq; ad sua tempora defluxisse hunc morem eligendi: episcopos etiam à Laicis eligi. tametsi ipse eum morem improbare videatur. Vixit autem ante annos 300.

Eiusdem integra epistola ad archiepiscopum Bremensem, & episcopum Vuerdensem, in quodam Chronico extat: vbi narrat, quendam postulatum esse ad episcopatum Suerinensem, votis tam celri quàm populi concurrentibus in eundem, illumq; iubet confirmari. Vnde itidem consuetudo electionis Laicorum apparet. Eadem epistola habetur etiam in Metropoli Crantzij lib. 8

cap.3. Vixit autē is Grego. ante annos 300.

Scribit etiā Auentinus adhuc ante annos 300, plebem Ratisbonenſem ſibi elegiſſe epiſcopum. Si itaq; ciues Ratisbonenſes, etiam tum temporis adhuc hoc iure vſi ſunt; prorſus non eſt dubitandum, etiam alias ciuitates, in quibus fuerunt Cathedræ epiſcopales, ſimilem poteſtatem habuiſſe.

Quare nullum prorſus eſt dubium, quin electio ante annos 300, & deinceps quoq; aliquandiu à Laicis citra omnem controuerſiam ſit factitata. Quo verò tempore Antichriſtus, vnà cum impuris ſuis ſacrificulis, reliquis Chriſtianis, qui Laici vulgò vocantur, hoc ius nefariè ademerit, non equidem habeo quod certò affirmem. Auentinus putat, ſub Imperatore Friderico huius nominis ſecundo, hoc eſt, intra annos 300 (cum Papa, nulla habita prorſus ratione æquitatis, ipſius Dei & omnis honeſtatis, pium illū Cæſarē excuteret & opprimeret, teſtantibus id ferè omnibus hiſtoricis) hoc malum primum cœpiſſe, & ingruiſſe.

¶ Oſtendi itaq; hactenus de plurimarum hiſtoriarum & teſtium ſententia, quòd electio inde vſq; à Chriſti temporibus, propè ad hæc noſtra (demptis ſcilicet proximis 250, uel vt plurimum 300 annis) non tantū ad clericos, ſed & ad Laicos pertinuerit. &

apud

apud vtrosq; simul in vsu fuerit. Quocirca etiamnum iure & meritò, imò necessariò ita fieri debere, omnes verè pios firmiter statuere existimo: neq; etiam video, quid tandem ferme Papistæ huic sententiæ opponere possent. Nam & scriptura sacra, & patrum monumenta, itemque Concilia, Pontifices & Cæsares, adhæc inueterata quoque ecclesiæ Dei consuetudo seu vsus perquam diuturnus, vtpotè qui vltra 1300 annos permansit intemeratus, nostras tuentur in hoc negocio partes: quòd nimirum electio episcoporum planè ad Ecclesiam, hoc est, ad totum cuiusq; loci populum pertineat. Iam verò Canonicorum factio, cunctis non solũ Laicis, sed & sacerdotib prorsus eam potestatem eripuit, sibiq; soli (quæ sanè numero est perexigua) fraudulenter rapuit, prẹter omne (quod memorauimus) tam diuinum ius quàm humanum.

Sæpe multumque vociferantur Papistẹ, maximè verò ipsorum spirituales, contra nos, audiendos esse Patres, Concilia, Canones, traditiones Apostolicas, diuturnas cõsuetudines, &c. Egregiè scilicet illi cùm hac in re, tum in alijs quoque religionis partibus compluribus, pristinos ritus obseruãt. Sed omnino meritò etiam hac in re vetus illa & diuturna consuetudo restituẽda esset:

è contrà deteſtanda hæc & perniciosa Papiſticæ tyrannidis nouitas, qua vehemẽter Germaniam oppreſsit, prorſus abroganda.

Quid igitur impuriſsimi illi ſacrificuli opponerent, præter violentam, peſsimæq; fidei præſcriptionem ducentorum, aut ad ſummum trecẽtorum annorum, ex eo quo hac poteſtate Laicos, ſpreto Deo, & Eccleſiæ antiquæ vſu, omniq́ue æquitate, exuerunt, non video: tametſi & ipſis hæc ipſorũ poſſeſsio, imò detentio potius aut rapina, ſæpe eſt interpolata. Modò enim Papa violenta manu eam ſe rapuit, modò Magiſtratus, modò etiam Canonici appetiuerunt. Interdum quoq; res eſt tranſactionibus cõpoſita, ita vt Papa vno ea frueretur ſemeſtri, Canonici verò altero: veluti nunc fit. Vnde ſunt menſes (quos vocant) Papales, niſi quòd interdum Papa ipſorum electiones & poſtulationes, ſimul ſub prætextu alicuius confictæ cauſæ, irritas faciat, & epiſcopatum, in quem vult, ſuo arbitrio transferat, indeq; argentum cudat?

Sed ad infringendam hanc præſcriptionem, primùm ſciendum eſt, quòd haud bona fide in huius poteſtatis poſſeſsionem ſacrificuli irruperint: ſed quemadmodum alioquin Papa, per fas atque nefas, Cæſares, Reges & Principes, quin & totum Imperiũ Romanum

Romanum,& (quod magis est) vniuersum Christianum orbem,sola ui & maliginis fabricis ac doctis dolis oppressit, pedib. proculcauit,despoliauit,deglubit,& instar strigarum exuxit:ita etiam strenuè eum secuti sunt eiusdem farinæ episcopi,Pręsules, Canonici, & reliquum boni istius Vlysis remigium.sicut testatur amarulétum,crebroque ab ipsis vsurpatum dicterium:Mundus vult vexari aut decipi,ideo vexandus quoque est,& decipiendus. Vnde animaduerti potest,hanc ipsorum possessionem non iustiore titulo,& fide meliore cœpisse, quàm cum fur aut prædo alteri bona sua suffuratur,aut per vim eripit.

Deinde nec citra contradictionem quidem aliorũ, huius potestatis possessionem continuarũt,uelut suprà indicatũ est: quòd nimirũ Papa (sicut & politici tyranni) perpetuò cum ipsis ea de re dimicauerit: quodque etiam ciues iam intra 300 annos potestatem habuerunt literis & authoritate sua intercedere atq; commonefacere, de eo qui ipsis maximè probaretur:idque tum apud Canonicos,tum & apud Papam.

Tertiò:licet Canonici iusto titulo bonaque fide soli possedissent ius electionis,attamen adeò turpiter ea sunt abusi, eligendo nimirum pueros, aut alioquin homines ad

Ecclesiastica & ciuilia munera prorsus ineptos vel etiam impurissimos ac scelestissimos, itemq; aliorum fauorem, aut sanctum denarium, quod dicitur, largitionesq; aucupando (quemadmodum id non paucis exemplis comprobari potest) vt meritò hæc illis tandem potestas adimeretur, iuxta regulam Iuris: priuilegio suo qui abutitur, is iure illud amiserit.

Quartò: Nec potest vallere vlla in huiusmodi negocijs præscriptio, quæ insurgit contra ius diuinum. Iure enim ac meritò vni Deo cedunt omnes homines: & per iusticiam ac voluntatem ordinationis diuinæ meritò derogatur omnibus alijs legibus & iuribus, siue eæ sint de præscriptionibus, siue de rebus alijs quibuscunq;, quamprimum scilicet error quispiam hominibus innotescit. Suprà autem demonstratum est, eam potestatem eligendi pastores ac episcopos traditam esse Ecclesiæ, vnà cum clauibus, ab ipso Christo, tanquam dilectæ ipsius spõsæ. Quãobrem nulla hic est prorsus admittenda præscriptio, nec si vel centies mille annos durasset. alioqui enim omnes Idolomaniæ vetustæ, ipseque Ethnicismus ac Iudaismus, & denique Mahometismus rectè tolerarentur. Ac in eiusmodi rebus ad religionem spectantibus plurimùm ponderis

habet

habet id quod dici solet: *Tausent iar vnrecht, war nei kein stund recht*: Error annorum centum, nō ualet vel momentū, iuxta regulas. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio nō subsistit. &, Quod initio uiciosum est, tractu temporis non potest con ualescere.

Huc referātur illa planè aurea sanctorū patrum dicta, pro vero præferendo; diuino iure, contra omnem consuetudinem, quantumuis longam & multorum hominum, quæ etiam in Decreto distinctione VIII recensentur, quæ hic ordine adscribenus.

Aduersus naturale ius nulli quiquā agere licet. canon III.

Quæ contra mores hominum sunt flagitia pro morum diuersitate sunt uitanda, vt pactum inter se, gentis aut ciuitatis consuetudine vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur: turpis est enim omnis pars vniuerso suo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem, vel contra pactum quorumlibet iubet fieri: & si ibi nunquam factum est, tamen faciendum est: & si omissum est, restaurandum est: & si statutum non erat, instituendū est: si enim regi licet in ciuitate cui regnat iubere aliquid quod neq; ante ipsum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & si non est cōtra

societatem ciuitatis eius, obtemperatur ei: Imò contra societatem fit, si ei non obtemperetur (generale quippe pactum est societatis humanæ, obtemperare regibus suis) quanto magis Deo regnatori vniuersę creaturæ suæ ad ea, quæ iusserat, sine dubitatione seruiendum est? sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

Item Nico. Papa Ignaro Remensi archiepiscopo.

Radicitus est euellenda perniciosa consuetudo, canon IIII.

Mala autem cōsuetudo, non minus, quā perniciosa corruptela abijcienda & vitanda est: quę nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impijs assumijtur: & incipiunt pręuaricationes & varię præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari. Item Augustinus de vnico Baptismo lib. 2.

Veritati & rationi consuetudo est postponenda, canon V.

Veritate manifesta cedat consuetudo veritati: planè quis dubitet veritati manifestę consuetudinē cedere. Itē nemo cōsuetudinem

dinem rationi & veritati præponat, quia cō ſuetudinē ratio veritatis ſemper excludit. Itē Greg. Guilimūdo Auerſano epiſcopo.

Quælibet conſuetudo veritati eſt poſtponenda, canon VI.

Si conſuetudinem fortaſsis opponas aduertendum eſt, quod dominus dicit: Ego ſum via, veritas,& vita: Non dixit ego ſum conſuetudo, ſed veritas. & certè (vt Beati Cypriani vtamur ſententia) quælibet conſuetudo, quantumuis vetuſta, quantumuis vulgata, veritati omnino eſt poſtponēda, et Vſus q Veritati eſt cōtrarius, eſt abolēdus.

Item Auguſtinus in libro de Baptiſmo paruulorum:

Veritate reuelata, conſuetudinem ſibi cedere oportet, Cap. VII.

Qui contempta Veritate præſumit conſuetudinem ſequi aut circa fratres inuidus eſt & malignus, quibus Veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus eſt, inſpiratione cuius Eccleſia eius inſtruitur. nam dominus in Euangelio, Ego ſum, inquit, veritas, non dixit, Ego ſum conſuetudo. Itaq; Veritate manifeſta, cedat conſuetudo veritati, reuelatione igitur facta veritatis, veritati cedat conſuetudo: Quia & Petrus, qui circumcidebat, ceſsit Paulo Veritatem prędi-

canti. Igitur cum Christus Veritas sit, magis Veritatem, quàm consuetudinem sequi debemus. Quia consuetudinem ratio & Veritas semper excludit.

Idem in libro 4 de Pap.

Consuetudo rationi frustra opponitur, canon VIII.

Frustra, inquit quidam, qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis obijciũt, quasi consuetudo maior sit Veritate, aut nõ sit in spiritualibus sequendum, quod melius â spiritu sancto reuelatũ est. Hoc planè verùm est: quia ratio & veritas consuetudini prępnendę sunt. Sed si consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. Idem Cypria:

Rationem consuetudo impedire non debet. Canon IX.

Consuetudo quæ apud quosdam irrepserat impedire non debet, quo minus præualeat Veritas & vincat. nã consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Propoter qđ relicto errore sequamur veritatem, scientes quia apud Esdram veritas vincit, vt scriptũ est. Veritas valet & inualescit, & viuit in æternum, & obtinet in secula seculorum.

Si Paparum consuetudines, & falsi iuris vsurpationes ob vetustatem deberent diuino iuri præiudicare, cur non etiam ethnicorum

ctorum, Trucorum & Iudæorum multo antiquiores præiudicarent?

Hæ sint itaq; quas memorauimus, causæ seu fundamenta spiritualia, quæ electionẽ etiam ad Laicos pertinere euincant. Nunc porrò & politicas quasdam, & communem vtilitatem concernentes, attamen & ipsas perquàm graues causas recensebimus: quãdoquidẽ iã tales eligũtur episcopi, præsules & abbates, qui non solùm Ecclesiastico, sed & Politico regimini præficiuntur.

¶ PRIMVM enim, sæpenumero vni Abbati Principi, aut vni Episcopo complures Comites, Barones, nobiles, ciuitates, castella & pagi, imò nonnunquam ceu feudi domino Principes etiam subiecti reperiuntur: & tamen eiusmodi vel Abbas à tribus aut quatuor vix vnius æstimandis assis, ac prorsus omnium rerum ignaris monachis: vel Episcopus à sex septem'ue ignauis Canonicis eligitur, quorum industria magis in Bacchi poculis, & Veneris Schola, alijsque turpitudinibus, quàm in magni momenti negocijs, siue ea religionem spectent, siue etiam res politicas, valere conspicitur.

Quo verò iure, qua'ue æquitate id quæso probari potest, quòd tam pauci inepti atque futiles, imò & omni genere scelerũ perditissimi homunciones, pro libitũ suo, toti

regioni

regioni, totque proceribus, nobilibus ac ci uitatibus Dominum aliquem præficiant?

Estque in hoc argumento aliquando diligentius considerandum, quòd eiusmodi monachi tantam sibi autoritatem ac potestatem arrogantes, perpauci sunt numero, & vt plurimùm asinis ipsis rudentibus rudiores, ac in nullis propè bonis rebus aut artibus (excepto interdũ vix vno aut altero Canonicorum) exercitati. Item considerãdum & illud, quòd plerique eorum sunt ignobiles, & obscuro genere nati. Item & hoc, quòd cùm nec uxores, nec liberos, aliosue sui generis secum habeant, verisimile non est, ipsis commune eius regionis bonum curæ esse.

Deniq; considerandum est, quòd interdum Romæ, vel in alia quauis ditione commorari soleant: sicut interdum acicdit, vt in tribus aut quatuor vel etiam pluribus locis suos opulentissimos Canonicatus habeant. Ideo vel pecunia sese expugnari patiuntur, vel alioqui gratificantur magnatibus: vel, prout suus aliquis vsus vtilitasque postulat, eligunt pro animi sui libidine, neglecto interim eius loci publico commodo: freti nimirum alijs suis canonicatibus, possessionibus & fundis illis longè potioribus: nec ignari, quàm facilè sese publicis damnis

damnis ac periculis, si ibi res malè cedat, subtrahere possint: ut ita admodum crebrò electio fiat à peregrinis, alioque loco procreatis, alibi etiam habitãtibus, ac meliora sibi aliundè pollicentibus: eoque non admodum curantibus, idoneum'ne, an verò minus, eligant: & sua tantum priuata & remota, non publicum bonum spectantibus.

E contrà verò possessor dominij directi, siue is sit princeps aut Comes, Nobilis aut Consul, siue alioquin ciuis locuples, necessariò dat operam, vt idoneum & prouinciæ suæ vtilem eligat. Aliàs enim detrimentum etiam in se, suam coniugem & liberos suos, amicos & facultates ac bona exundaturum non ignorat. Ad hæc, & loci seu regionis conditiones magis habet perspectas, &c.

SECVNDO: Non minori quoq; cura & hoc perpendendum est, quòd cum hac nostra tempestate Canonici, tum propter genus religionis, tum etiam propter tetras libidines, ac planè beluinam tyrannicamque vitam, omnibus propè hominibus sint exosi, præsertim bonis, & honestatem amplectentibus, eoq; ferè in multiplici discrimine uersentur: quòd inquam illi vicissim mutua odia atque inimicitias aduersus incolas episcopatuum suscipiant & alant: maximeque id studio habent, vt tales eligant

Abbates & episcopos, qui ipsis tantum possint esse cõmodi, toti verò prouinciæ prorsus aduersi: imò & per quos grassentur ac sęuiant in miseros ciues & etiam nobiles ac superiores ordines.

Quare electi arctissimè sese illis pactionibus, fideiussionibus, & sacrosanctis etiam iuramentis obstringere cogũtur, quòd omnia ad ipsorum libitum agere & administra strare velint: nec solùm eos in tanta vitæ spurcicie immanitatéque & impietate contra quemuis tuendo ac defendendo, sed vniuersos quoque subditos ad idolomanias quasuis cogendo, vel alioqui præter æquitatem ac iusticiæ normam regendo, aut potius excarnificando & premendo: cum omni iure tales electores non suum priuatum commodum, sed publicum totius prouinciæ bonum in eligendo spectare deberent.

Quo ergo iure tota aliqua regio electionem gubernatoris, & quidem pastoris animarum suarum, infensissimis suis hostibus concrederet? Certè ista immanis tyrannis nec Turcis quidem aut Schytis probari unquam posset. Quapropter, tametsi alioqui rectum, æquum ac vtile esset, tam paucos, nihilique homines tantam vsurpare potestatem: tamen extrema nunc flagitat necessitas, vt conditiones tum temporum tum

personarum

personarum aliquanto exactius perspician tur,teterque hic abusus è medio tollatur. Nam (si verum fateri licet) eligendi facultas, constituendique regioni alicui Dominu m, nunc penes admodum paucos, eosque regionis eius capitales & atrocissimos hostes,vt antè demonstratum est, cõsistit.

TERTIO: Res quoque ipsa ita geritur,vt quandoquidem egregij illi electores,tres nimirum,aut ad summum quatuor monachi, itemque sex vel septem Canonici,plerunque sunt de grege Pontificio, nunquam verè pium ac Euangelicæ sinceritatis studiosum principem aut Dominum designent; vel vt maximè sic res aliqua cadat, omnibus tamen viribus eum cogant,vt reclamante sua ipsius conscientia, sceleratā ipsorum vitam & idololatriam comprobet: quin & iureiurando promittāt, se omnia ipsorum vota ac cupiditates omni studio ac cura velle tolerare ac promouere, denique & semetipsum cōtra conscientiam impuro cœlibatui debere.

Adde, quòd & alio magis horribili iuramento, agnito Antichristo Romano, cogatur sese in contumeliam prorsus Domini sui IESV Christi, & verbi eius sacrosancti obstringere. Quod quidem iusiurandū & pactum pontificium, ingens damnum,

atque adeò præsens exitium toti Imperio Romano ac inclytæ Germaniæ affert. Semper enim fuit Papa infensissimus Germanorum hostis, ac modò huic, modò illi ipsorum hosti sese socium adiunxit, vel ipsos etiam plerunque ciuilibus bellis in mutuam perniciem commiscuit: atque ita ministério & opera suorum coniuratorum omnis generis flagitijs atque cædibus innumeris Germaniam contaminauit & peruastauit, maximè his sexcentis iam annis: quibus Papa propriè Antichristus fuit, & re ipsa talē sese præstitit.

QVARTO, & vltimo: id quoque summopere cogitādum est, quod certè nulla vel ęquitatis aut iuris specie unquā ꝓbari potest: qđ nimirū, vti suprà est indicatū, tribus aut quatuor vilissimis monachis, itemque sex septem'ue impurissimis Canonicis permittatur, tam augusta potestas eligendi Principem, aut attribuendi Electorem toti imperio, qui reliquis Principibus, Electoribus Regibus atque Cæsaribus assideat, omniumque regni secretorum simul sit conscius & impius administrator, &c.

Solent etiam aliquando vel molitoris cuiuspiam, aut holitoris filium eligere: ueluti nunc quēdam nothum, qui turpissimè antea se gessit, & sciens ac volens periuriū admisit,

admisit, sanctè promittens se profuturum uel in Africam aut Asiam, vel Tyrum versus aut Sidonem, & nescio quò, ibique homines Christianam doctrinam docturum, eosque conuersurum esse. quod tamen tali impostori nunquam, ne per somnium quidem venit in mentem.

Eiusmodi inquam hominem, non solùm à nobilitate generis, sed etiam à communi honestate remotissimum, quin & periurio contaminatissimum, manipulus ille trium, quatuor, sex, septem'ue helluonum & libidinosissimorũ sacrificulorũ, Principẽ creare solet, aut etiam Imperij Romani Electorem, vel inuitis ac inscijs omnibus Imperij Principibus & proceribus: quæ certè res nequaquam est nobilissimæ Germanorum genti, pręsertim in religionis ueræ luce, diutius toleranda.

Estque hoc in loco id quoque non minus attenta mente dispiciendum, quòd hac nostra ætate inclyta Germania tota vireat numero ac flore nobilissimorum Principũ atque Comitum: qui tametsi ad gubernacula Reip. sint maximè idonei, nec non & celebritate uetustateque generis commendatissimi, tamen vel propter familiæ suæ amplitudinem, vel etiam propter alias quasdã res aduersas, minus diffusa habẽt territoria,

eoque contractius quàm alioqui dignitas & augusta principum conditio requirebat, agere coguntur. Hi inquam, ab eiusmodi præclaris Electoribus turpiter plerunque negliguntur atq; contemnuntur.

Quo fit, vt vel sordidius priuatam vitam degere, vel etiam aliorum, atque adeò exterorum potentum aulas, quacunq; tandem etiam licet ratione, penè seruiliter sectari habeant necesse: cum tamen ipsorum maiores non parum pecuniæ aut regionum ad eiusmodi episcopatus & monasteria cõstituenda comportauerint, contulerintq;: labefactantes interim ea ratione suam ipsorum posteritatem, & reditus suos non parum imminuentes.

Quid verò iniustius ac indignius est, quã viros principes, aut Comties, Barones, aut alioqui valde nobiles in amplissimis familijs natos egere ac sordidius viuere, quorũ maiores tãtas opes ac reditus Ecclesijs aut monasterijs contulerunt: cum interim aliquis vilissimus & ignobilissimus homuncio, nõ raro etiam illegitimè nat9, ampli ssimas illas opes monasteriorũ aut aliarũ Ecclesiarũ fœdissimè in turpissima ac ne fandissima facinora profundat & disperdat?

Sic igitur fit, vt iaceant nobilissimæ & vetustissimæ prosapiæ, quæ sanguinem suum pro Ger-

pro Germaniæ salute profuderunt, & inter ea promoueantur vel vilissimi vel etiã pessimi homũciones, tantũ ideò, quia Romano Antichristo, & vni aut alteri male raso vncto que monacho aut sacrifico, scitè adulari, & in omnibus seruire, ac placere norunt, para tique sunt.

Hinc etiam sequitur illa quoque calamitas, quòd talia Athichristi mancipia cogantur amplissimas pecunias subinde varijs occasionibus in ipsum effundere, vel venditis ipsis etiã redituum fundis, si aliter eas corradere nequeunt.

Extat in Moguntino chronico Conradi episcopi, olim ibi fuisse calices ex solido auro, quos vnus homo subleuare non potuerit. Fuisse etiam crucem quandam inter alias nomine Bennam, cuius præter ingentes pretij lapides, pręsertim duos carbunculos, extiterit tãta vis auri, vt in ea fuerit hic versiculus scriptus. Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras. Accidisse autẽ, vt episcopus cuiusdam litis causa, Romam suum legatum ablegauerit, qui, indicata copia auri, ac promissa pontifici & Cardinalib. effecerit vt ipse, deposito illo episcopo, in locum eius sufficeretur.

Tales innumeros lusus harpiæ Romanę sæpissimè in Germania luserunt, sicut etiã

olim Fridericus I. Cæsar cognomento Barbarossa, publico scripto testat⁹ est, quòd legati sanctissimi Papę oberrent per Germaniam expoliantes templa, & excoriantes cruces aliaq; sacrilegia patrantes, quod scriptum suprà posui. Sed, vt ad propositum redeamus, & quidē hanc rem tanti esse momēti statuo, vt propria splendidissimaq; oratione ac deploratione alicuius eloquentissimi oratoris dignissima esse videatur, qua etiā amplissimi sacri Imperij ordines excitarentur ad adhibendum maturè huic tanto malo remedium. Expendatur etiam diligenter: An non hæc tam indigna summorū virorum & amplissimarum familiarum neglectio, & tantarum opum Ecclesię in vilissimorum homuncionum luxum ac libidinem dilapidatio, seditionis ac turbarum largissimam copiam subministrare aliquando tādem, si nimis diu tolerabitur, poterit.

Taceo iam, quòd talium heroum opera, consilioq;, qui multo rectius episcopatibus præessent, amplissimæ regiones carere coguntur, quodque contrà peregrini reges ac principes eos sibi obstrictos habent.

Has causas, licet politicas, tamen & ipsas longè grauissimas, quemadmodum & superiores illas, altius perpendent, maiori doctrina atque prudentia instructi, prętertim autem

autem Principes, & alij illuſtri genere nati. neque enim vllum mihi dubium eſt, quin totum hoc negocium ex ſacris literis, iure Ciuili Canonicoque, Concilijs & hiſtorijs ſplendidè declarari, magnificeque corroba rari, imò & aliunde compluribus in huius ſententiæ demonſtrationem cōgeſtis teſti- monijs ac fundamentis ſtabiliri poſsit.

Extat porrò celeberrima in vtroque Iu- re regula: Quod omniū intereſt, ab omnib. approbari debet. Quæ regula ſi vſpiam ali- bi, certè plurimum in Romano Imperio pōderis habere debet, in quo nimirum tot principes, tot proceres, tot urbes, quaſi mutua quadam coniunctione, veluti pluri- ma vnius corporis membra, ſub vno capite Cæſare conſtituta ſimul agunt, in medium ſua conferunt conſilia, opes & gubernatio- nem illius adiuuant: vbi etiam nullum pe- nitus nunc locum habet ſeruitus aliqua ac tyrannis, truculentiaq; Cyclopica, Scythi ca aut Turcica.

Maximè verò tam æquabilis lex in eccle ſia Dei, rebusq; ad Religionem pertinenti bus valere debebat: vbi minimè omnium barbaries, tyrannis ac immanitas admitti aut tolerari debet: idq; vel maximè hanc ob cauſam, quòd vniuerſi Dei filij, vniusq; corporis Chriſti membra, & quoad reli-

gionem, perinde liberi sumus

Cum hac regula quoq; conueniunt illa fundamenta & causæ, quæ suprà in recitatis à nobis tum ipsorum pontificum, tũ ex ipsorum Pontificialibus descriptis textib. fuerunt agitatæ & adhibitæ, cuiusmodi videlicet sunt: Ab omnib. eligi debet, cui omnes obedire debent: Commune periculum nauigio uehendis & nauclero, ideo etiam in commune debent consilia conferre. De omnium enim æterno exitio aut salute agitur, dum episcopus aut pastor gregis Domini quęritur.

De hac grauissima Ecclesiarum iniuria & intolerabili damno violenter ablatæ liberæ electionis, plurimi hectenus questi sunt: ego hic tantùm vnius Marsilij Patauini breue dictum adscribam.

Secundum hanc itaq; plenitudinem potestatis hactenus & in præsentiarum Romanis episcopis actione permissa, Christi corpus omne mysticum infecerunt, & si dicere liceat, corruperunt. Electionem namque modum potiorem, quinimò in quo solo securitas est simpliciter bene instituendi officialem quemcunq; diminuerunt, corruperunt, & demum quasi totaliter extinxerunt, cum tamen hac apostoli cum reliqua fideliũ

multitudi-

multitudine diaconorum institutionem effecerunt, vt habetur Actuũ vi. Diminuerunt quidem primò, in solum clerum conuertendo, quod per vniuersam fidelium multitudinem fieri solebat & debet, quemadmodum ostensum est XVII. huius. Corruperunt autem rursum diminuendo, vt in quorundam imperitorum & exortium legis diuinæ iuuenum, quos Canonicos vocant, potestatem, exclusis prouinciæ sacerdotibus, eligendi episcopum authoritatẽ trãsferendo, nisi fortasse casu contingeret, quod rarum est & in paucioribus, eundem esse sacerdotem atq; canonicum, ad solius vnius Ecclesiæ, siue templi clericos in prouincia, determinantes electionis autoritatem, quæ saltem per omnem prouinciæ clerum fieri deberet, & per sacerdotes præcipuè, quos debitum est esse diuinæ legis doctores, vt supra monstrauimus. Extinxerũt autem quasi finaliter, quoniá omnium ferè prælationum ecclesiasticarum, nec non horum, uerùm mediocrium & minorum officiorum, etiam quæ merè laicis conuenire possunt, propter templorum custodiam, collectionem, & pro his temporalium seu beneficiorum distributionem, immediatè suæ potestati reseruant episcopi

Romanorum. Quia siquidem reseruatione, irritas & inanes esse decernunt electiones, quaslibet, quãuis rite factas de sufficientib. & approbatis psonis horũ vice instituẽtes desuę plenitudine potestatis ignorantis aut affectæ precio vel prece, odio vel amore, terrore, obsequio exhibito, aut obtinendo fauore, vel peruersè aliter diuinarum literarũ ignaros, idiotas & indisciplinatos, & plerũq; homines mente corruptos, & notoriè criminosos, qui plebib. etiã, quib. præficiũtur, nõ cõmunicant idiomate seu sermone.

¶ Hæc, quod Deus nouit, bono, simplici ac pio studio indicare volui. primùm quidem, vt Deo parêrem: deinde, vt veritatem illustrarem: ac deniq;, vt si quis fortè heros Germanicus, aut etiam plures cultores veritatis publiciq; boni amantes, permouerentur hac tenui commonefactione, propter gloriam nominis diuini, & communẽ omnium salutem, ad huius negocij patrocinum alacriter suscipiendum: illudque cùm in publicis Imperij Comitijs, tum alibi, flagitante nimirum in summa omnium prouinciarum necessitudine, promouendum.

Neque verò quidquam addubito, quin si res isthæc seriò & coniunctis ageretur viribus, in Comitijs Imperialibus obtineri

posſit,

poſsit, vt electio Laicis, quam & olim optimo iure habuerunt, reſtitueretur. Quod ſi verò non prorſus, ſed aliqua duntaxat ex parte id obtineri poſſet, futurum tamen eſſet, vt id quoq; ingens commodum toti regioni ac Eccleſiæ Dei afferret.

Primùm enim hac ratione tetra & horribilis Antichriſti idololatria penè funditùs aboleretur. Nam hoc pacto vnà cùm electione & Papæ confirmatio, & tot nefanda periuria ac impiæ obligationes ruerent & collaberentur. Quem enim tota prouincia eligeret, eum etiam inuito & fremente Pontifice retineret ac foueret, deriuata tamen cōfirmatione ad totum Romanū Imperiū,

Deinde, hoc velut medio quodam, cùm Imperium ipſum, tum & Germania penitus à tyrannide Papiſtica exolueretur ac liberaretur. Nec eſſet opus toties petere Romam, Antichriſto adulari & iurare, itaq; nefariè prorſus ſe illi obſtringere: neq; etiam neceſſe eſſet tātam vim pecuniæ illi alijsq; exteris, eiusq; impuriſsimis miniſtris obtrudere, atq; ita dulciſsimam patriam eneruare, & præſidijs omnibus exuere.

Tertiò & vltimò, quandoquidē plerunq; Laici bonis & pijs Principib. fauere ſolent, proculdubiò maximè eos eligerent, qui fu-

APPENDIX, AD PRIOREM LIbellum de mendacijs Papæ,

PRæcedenti mendacio de tranflatione Imperij per Papas ad Germanos innumera fpecialia mendacia complectenti addatur illud appendicis loco, quod iam olim à Friderico Ænobarbo & principibus Imperij reprehenfum & confutatum eft. Curauerant Papæ in palatio Lateranenfi pingi Lotharium Imperatorẽ, humiliter fupplicantem pontifici pro Imperiali corona, adfcriptis hifce duobus verficulis.

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores: pôft homo fit Papæ, fumit quo dãte coronam. Eam picturam ac verfus, cùm Fridericus & principes Romæ confpexiffent, egerrimè tulerunt, & fummæ vanitatis redarguerunt, flagitaruntq; vt aboleretur. Quorum petitione tunc Papa fuit affenfus. De hac re fupra audiuimus Frifingẽfis Epifcopi, & etiam ipfius Imperatoris Friderici fententiam. Talia mendacia Papæ eorumq; parafiti iam olim hiftorijs & picturis fparferunt, vt fic Chriftianam plebem deciperent, & fuam monarchiam vel tyrannidem potius tũ fuper corpora ac fortunas, tum etiam fuper animas aut confcientias

piorum,atq; adeo super ipsas leges, doctrinam & religionem, & super ipsum Christũ constabilirent, crudeliorem efficerent, duriorémq; quotidie ac cru deliorem efficerent.

Addatur huic mendacio etiam quod Papistici historici, dum fingunt istam translationem, sibimet contradicunt. Hadrianus enim IIII. in sua bulla, quam Auentinus libro 6. recitat, dicit Zachariam transtulisse Imperium in Carolum Magnum, cùm tamen eo Romæ sedente, vix Carolus ex cunis egressus fuerit. Alij eam tribuuntHadriano, alij Stephano, alij Leoni, Alij dicunt esse factam anno 755. 776. alij 801. Vicinũ huic est, quòd pleriq; eorum historici dicunt, Papã cõstituisse VII. Electores Imperij, idq; alij Gregorio V. alij X adscribunt. At Innocentius III. in decretali venerabilem tantum eatenus hoc decus Romanæ Ecclesię tribuit, quatenus ea scilicet initio Imperium transtulerit, proculdubio in ea materia & contẽtione nò taciturus, si speciali decreto Papæ hoc factum fuisset. Martinus pœnitentiarius Gregorij X. illam constitutionem electorum mox post annum 1000. esse factam ait, nec tamen eam Papæ adscribit. Sic ei Marsilius Patauinus ac Aluarus, quorum hic pro Papa Io.22. ille pro Ludouico Cæsare circiter 40. annos post Gregorium X. scripserunt,

runt, de vii electoribus vt de re admodũ vetusta differunt. Quorum vterq; non tantũ doctus ac diligens vir fuit, sed etiam tempore prædicti Gregorij iam vixit, vt eius decreta ignorare non potuisset, & Aluarus certè etiam non reticuisset, cum id vel maximè eius instituto prodesse quiuisset. Marsilius quidem etiam taxat aliquot Paparũ fraudes, qui Electorũ ius astutè & dissimulanter imminuere sint conati, vt etiam inde eorum vetustas animaduertatur. Huc refer etiam Friderici Ænobarbi dictum, qui testatur primam vocem in electione esse Moguntini episcopi, & reliquas aliorũ principum ORDINE. Ex quo cernitur iam tum electionis ius ordinatum fuisse.

Apud Petrum Pernam

FINIS